JOHN CARTER BROWN
LIBRARY

Purchased from the
Trust Fund of
Lathrop Colgate Harper
LITT. D.

IOHANNIS BOTERI

RELATIONES

DE

PRÆCIPVIS REBVSPVBLICIS

CVM

NOTIS ET INDICE AVTHORVM POLITICORVM

IVSTI REIFENBERG JCti

Denuo

EDIDIT

LVDOLPHVS GEORGIVS LÜNDE

Hannoveranus.

HELMESTADI

Typis ac sumtibus HENNINGI MULLERI,

Anno CIↃ IↃ C LXX.

VIRO
NOBILISSIMO ATQVE AMPLISSIMO
DOMINO
HENRICO EBERHARDO
AB ANDERTEN
J. V. D.
Cognato & Favitori ſuo
ſuſpiciendo
S. P. D.

LVDOLPHVS GEORGIVS LÜNDE

IN quanto pretio fuerint JOHANNIS BOTERI *Relationes*, quas bono publico recudendas curavi, Nobiliſſime Domine Ab ANDERTEN/ inter alia edocent variæ, quas ſubiere, editiones. Etenim poſtquam non unâ vice Italico idiomate excuſæ in Latinam & Germanicam linguam converſæ ſunt, ſæpius manus typographorum exercuerunt. Ex eo principio, etſi quàm maximè encomia hu-

jus libri arcessere possem, nolo tamen vel tantillum inde meo BOTERO decerpere: audiam potiùs viros eruditos, qui eundem *in perquirendo censu dynastiarum & regnorum industrium*, & *Politicorum* sui temporis *Coryphæum* appellare nulli dubitant. Neque hi nobis imponunt; quisquis enim in accuratam Reipublicæ cujuspiam cognitionem penetrare, eandemque erudito orbi communicare desiderat, necesse est, ut probe hæc quatuor tanquam summa rerum capita observet: ex quibus scilicet civitas illa, quam perpendendam suscipit, constituta sit, ad quid collineet, quænam ejus statum conservent & quo authore glorietur. Ad hæc sine dubio quicquid de Republica docere & cognoscere quispiam expetit, judice nostro CONRINGIO possunt referri; quin imo ad hæc perinde ac ad amussim examinare possumus Rerumpublicarum scriptores, num exactam Reipublicæ scientiam tradiderint. Neque ego affirmaverim BOTERVM ea omnia, quæ faciunt ad perfectam Rerumpublicarum à se traditarum cognitionem, attulisse: tradit tamen egregia

gia occupatus plerumque in iis, quæ vires regni oſtentant. Per me licet extollant alii *SANSOVINVM, HONORIVM, BELLVM, CASPARVM ENS, LVCAM DE LINDA*, cæterosque, quemque ſuus maneat honos, nihilominus BOTERVS cæteris herbam reddet dubiam, aut omnino præripiet, licet eum reliqui mole vincant. Valeat COLERVS, quando BOTERVM è manibus noſtris eliminaturus ſiniſtre judicat: *BOTERVM non tam fallere quam falli*, hoc, inquam, judicium nimis late ſe extendit; quis quæſo hominum exiſtit, qui non aliquando in relationibus fallatur, aut ſi ex relationibus falſa percepit inſcius tamen abſque intentione damnum inferendi aliis poſſit imponere? Audiat τὸν πάνυ *CONRINGIVM*: *Fuere quidam noſtro ævo, qui de omnibus Rebuspublicis noſtri ævi commentati ſunt, quemadmodum etiam Ariſtoteles ſuo ævo fecerat. Inter hos primo loco occurrunt duo Itali, BOTERVS & SANSOVINVS.* Et paucis interjectis: *egregius eſt ille Boteri liber, quamvis non adeo magnus, tradit egregia & perquàm docta.*

GASPAREM SCIOPPIVM, qui in *consultationibus de Scholarum & studiorum ratione p. 445.* admonet nos in Italia non sine fructu lecturos libros BOTERI: vide si lubet ejusdem libri *p. 437.* Neque Botero laudem suam denegat Clarissimus JOHANNES HENRICVS BOECLERVS, quando censet in sua erudita *commentatione in Taciti primordia Annalium & historias pag. 419. ejusmodi libris* descriptiones imperiorum tradentibus *non esse nimis fidendum.* Verba laudati viri ita sonant: *Posuerunt in talibus* regnorum *descriptionibus aliquid operæ Boterus & Caspar Ens, qui omnium manibus feruntur, quanquam ejuscemodi libris non est nimis fidendum.* Quapropter cum hic *BOTERI* liber omnino dignus sit, qui rursus lucem subeat, me non male de bono publico meriturum confisus sum, si meam qualemcunque operam æquis, ut spero, rerum censoribus haud ingratam, typographo locarem. Tuo verò nomini *NOBILISSIME DN. AB* ANDERTEN Cognate & Favitor suspiciende, eandem consecrare placuit, quod ejusmodi libris delecteris, & memor

partium

partium Legati Venetæ Reipublicæ similis argumenti quam plurima alia in pectore & adversariis tuis recondita asserves. Vlysses

adversis rerum immersabilis undis

ἐπεὶ Τροίης ἱερὸν πτολίεθρον ἔπερσε,
Πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω·

Non aliter, *DN. COGNATE*, postquam obstacula, quæ ceu remoræ naves *TE* potuerant detinere, removeras,

multorum providus urbes
Et mores hominum

inspexisti, quo, cum res postularet, erudita Tua rerum suppellectili (cujus egregium exstat specimen *DE REGALI VECTIGALIVM JVRE) PATRIÆ* posses inservire. Proinde serena fronte *BOTERI RELATIONES* varia eruditione refertas (ex quibus nil nisi fructum & delectationem haud vulgarem lector percipere poterit) suscipe, & me favore *VENERANDI TVI PARENTIS* prosequi non dedignare. Vale. Helmstadii, Idibus Octob. Anno recuperatæ salutis MDC LXIV.

INDEX

INDEX CAPITVM.

I. Cap.	GALLIA.	Pag. 1.
II.	ANGLIA.	8.
III.	DANIA.	16.
IV.	SVECIA.	18.
V.	POLONIA.	24.
VI.	MAGNVS DVCATVS MOSCOVIÆ.	34.
VII.	FAMILIA AVSTRIACA.	44.
IIX.	IMPERIVM ROMANVM.	47.
IX.	PONTIFEX ROMANVS.	56.
X.	DVX SABAVDIÆ.	58.
XI.	MAGNVS DVX ETRVRIÆ.	60.
XII.	DVCES FLORENTINI.	67.
XIII.	DVCES VRBINI.	68.
XIV.	VENETORVM CIVITAS.	73.
XV.	MAGNI CHAMI TARTARI IMPERIVM.	88.
XVI.	MAGNVS MAGOR.	96.
XVII.	CHINA.	104.
XIIX.	SIAM.	115.
XIX.	NARSINGA.	124.
XX.	CALICVTIVM.	128.
XXI.	PERSIA.	131.
XXII.	JAPONIA.	140.
XXIII.	PRESBYTER JOHANNES.	144.
XXIV.	REX BORNO ET REX ADEL.	148.
XXV.	MONOMOTAPA.	152.
XXVI.	SERIFFVS.	153.
XXVII.	HISPANIA.	162.
XXIIX.	VNITÆ BELGII PROVINCIÆ.	183.
XXIX.	TVRCA.	192.

LECTO-

LECTORI CANDIDO

S. P. D.

L. G. L.

PRiusquam ad ipsas Relationes Boteri perlegendas & examinandas progrederis, de uno atq; altero hujus operis editionem concernente certiorem te faciendum esse non absre fore duxi. Paucis igitur, ni aliter visum fuerit, accipe occasionem recusarum Boteri Relationum & alia nonnulla, quæ faciunt ad Boterum ejusq; scripta, cumprimis verò præsens aliquanto penitius cognoscendum.

Annis superioribus HERMANNVS CONRINGIVS viva illustris Iuliæ Bibliotheca, priusquam accurata Rerumpublicarum cognitione nos imbueret, antiquum nunquam non summa laude extollendum obtinens authores, quorum opera in civitatum scientia comparanda uti possemus, recensebat & inter alios hunc Boteri fœtum laudabat. Nullus dubito, quin ipsum potius candide docentem sis auditurus; verba ejus itaq;, ut potuerunt calamo excipi, referam: Fuere quidam nostro ævo, qui de omnibus Rebuspublicis nostri ævi commentati sunt, quemadmodum etiam Aristoteles fecerat suo ævo. Inter hos primo loco occurrunt duo Itali, Franciscus Sansovinus, qui de Rebuspublicis universi orbis scripsit Italicè: versus autem hic liber nondum est in Latinum sermo-

nem, ideo quia hunc Sanſovinum Boterus (hic eſt alter ille Italus) longe ſuperavit, ut ego quidem exiſtimo. Hic Boteri liber, quamvis mole ſit exiguus, eſt tamen egregius: minime autem tradit plenam notitiam Rerumpublicarum omnium; tradit tamen egregia & perquam docta. *Hoc Viri incomparabilis limatum judicium plurimos inſtigabat ad eum librum ſibi comparandum. Advolant ergo in bibliopolia, quærunt, ſciſcitantur, percontantur; ſed fruſtra: vel ipſum Boteri nomen bibliopolas latebat. Brevi temporis ſpatio elapſo dum inter obambulandum ſermones cædimus, fortè fortuna quiſpiam Boteri mentionem facit exoptans ſibi dari hujus viri Relationes: reſpondeo, me ſibi hujus libri perlegendi copiam facturum & famulo petenti traditurum. Quid fit? petit, accipit, recta pergit ad typographum eundemq; rogat, ut librum illum bono publico recudat. Typographus conſulit plurimos exaſciatæ eruditionis viros, num dignus ſit iſte liber, qui prælum rurſus ſubeat; non diſſuadent. Deliberato igitur aliquamdiu negotio me convenit & rogitat, ut pace mea iſto exemplari ad excudendum & mea opera ad relegendum poſſet uti; polliceor meam operam ipſi non defuturam, per me licere primo quovis die operis excudendi ſpecimen dare. Pacta, tranſacta omnia. Tantum de priori: ni moleſtum fuerit, Benevole Lector, alterum quoq; membrum percipe; paucis me expediam.*

Ea vero, quæ in hoc altero membro traduntur, vel ad authorem ipſum, vel ad ejus ſcripta referri poſſunt. Ad primum quod ſpectat, conſtat Iohannem Boterum fuiſſe Italum

& qui-

& quidem Beneſium, ut tituli librorum nos docent. Sed quinam locus Italiæ ipſi poſterius nomen indidit? obſcurum eundem eſſe oportet; procontatus enim ſum & in libris Geographicis & mappis recentioribus, nec invenire potui. Colligo autem, quod locus, qui ipſi nomen dedit, ſitus ſit in regione Pedemontana; Gabriel Naudæus *enim* Bibliographiæ polit. *pag.* 81. *Boterum noſtrum vocat Pedemontanum. Dixeris: non fit veriſimile; quippe qui p.* 59. *cives ſuos perſtringit ſat acerbe, quando dicit:* Pedemontanos quicquid habent inſumere in luxum. *Verum ſcias velim, illam relationem de Duce Sabaudiæ non eſſe Boteri ſed alterius cujusdam Itali.* Gaſparis Ens Theſauri Politici Apoteleſmat. VII. *inſcriptio habet* Senenſis *p.* 146. *Tom. I.* M. Sebaſtianus Schröter *Paſtor Erffurtenſis in initio* Mercurii Coſmici *ex Boteri Geographia concinnati vocat eum* Genuenſem. *Sed quantum fallant & quam vera fuerit conjectura ſuperius tradita te, Lector docebit Antonii Poſſevini apparatus Sacer. Audi ipſum: pag.* 827. *in volumine primo ita loquitur:* IOHANNES BOTERVS Benenſis, quod oppidum & præſidium eſt in Subalpinis, libros decem De ratione (ut vocant) ſtatus, hoc eſt, De rebus Politicis, una cum tribus libellis, De origine Vrbium earumque præſtantia & modo augendarum linguæ Italica edidit Venetiis apud Jolitos anno 1589. Hic autem liber ad pietatem & ad prudentiam utilis eſt; quo item mala ſana & impia Machiavelli fundamenta, quæve ex Cornelio Tacito poſſunt deſumi, dum Ty-

berii Neronis artes exponit, evertuntur breviter, docte, Christianè. Sed & antea quædam nitida carmina emiserat. De Regia Sapientia Latine. Deinceps autem Italicè. Libros quoque De contemtu Mundi (del Dispregio del Mondo) & duas Concionesejusdem argumenti, simul editas apud Franciscum & Simonem Tinos Mediolani an. 1584. Descriptionem quoque Mundi universalem prænotatum Relationes. Deinde autem Quindecim Christianorum Regum Vitas. Trium Hierosolymæ Gothifredi, Balduini primi, Americi. Trium Galliæ, Clodovei, Ludovici Noni, Caroli Noni. Trium Hispaniæ, Pelagii, Ferdinandi Magni, Ferdinandi Sancti. Trium Angliæ, Alvredi, Canuti, Guilielmi Acquisitoris. Trium Lusitaniæ Alphonsi Primi, Alphonsi Quinti, Emanuelis. Quas excudit anno 1601. Ioannes Tarinus Augustæ Taurinorum in Subalpinis Italiæ. Porro primi illi libri de Politicis rebus ex Italicis facti Germanici, ac deinceps Latini prodierunt Argentorti. *Hæc ille.* Justus Reifenberg *refert in præfatione Politiæ Regiæ eum fuisse Canonicum Romanum. Vixit seculo superiori ad finem vergente. Plura Benevole Lector, percipies (ni valde fallor) ex libro cui titulus:* Dei detti memorabili del Sig. Giov. Botero.

Quod scriptâ ejus attinet, nosti, quod multos eruditos libros orbi reliquerit. Audi ergo primo fortunam, quam perpessæ sunt hæ relationes. Excusæ sunt sæpius idiomate

Italico

Italico sub finem seculi superioris & hujus nostri anno quinto rursus Venetiis in quarto, ut vocant, hoc titulo: Le Relationi Vniversali. *Deinde ex Italico in Latinum versæ prodiere Lubecæ Anno* 1600. *in* 4. *sub hac inscriptione:* AMPHITHEATRIDION: hoc est; Parvum amphitheatrum, cui pauca mundi theatra comparare vix ullum anteponere amphitheatrum possis. In quo (velut in speculo) cuncti præpotentes Orbis Monarchiæ, Principesque opibus viribusque pollentes cum uniuscujusque censu, potentia, regendi forma, Principibusque finitimis spectabiles ob oculos Philologorum repræsentantur in quatuor partes divisum. *Quæ quidem editio, etsi prodierit* cum gratia & privilegio ad annos quindecim *nihilominus tamen anno sequenti tertio excusa est altera Vrsellis eadem forma cum superiori hoc insignita titulo:* MVNDVS IMPERIORVM sive Relationes de præcipuis mundi Imperiis, Regnis & Dynastiis; simul cum eorum regali censu, ærario, & armorum potentia: Imperii denique magnitudine & forma regiminis, Principatibus deinde sibi invicem finitimis. Opus novum in rerum magnarum cognitionis cupidorum gratiam á GVIDONE DV BRVECQS ex JOHANNIS BOTERI & aliorum Relationibus Italicis Latine factum, jucundum sane lectu & etiam utile, non Regibus Principibusque modo, sed & Dynastis & viris heroibus, militiæ quoque & rerum politicarum negociorum studiosis. *Differunt autem in eo duæ istæ editiones,*

tiones, quod Lubecensis primum locum dederit Regi Hispaniarum, altera vero primas adsignaverit Galliæ Regi, quam & ego secutus sum. Præterea Vrsellensis illa gaudet aliis relationibus alterius cujusdam Itali de ditionibus Ducis Sabaudiæ, Magni Ducis Etruriæ, Ducis Vrbini & Civitatis Venetiarum, licet seorsim prostet ipsius BOTERI Relatione della Rep. Venetiana. *Reddit autem laudatus GVIDO rationem in præfatione ad Lectorem, cur libellum inscripserit: MVNDVS IMPERIORVM; scilicet*, quod eorum opes, vires, formamque ea administrandi regendiq; referret declararetque. *Vrsellensem excepit anno decimo tertio nostri seculi editio Coloniensis in octavo: quæ quidem exemplaris Vrsellis excusi vestigia fideliter legit, nisi quod inscriptionem libri mutaverit & pauca quædam vocabula Græca expresserit literis Latinis adeo rudi Minerva, ut hominem Græce planè indoctum possis agnoscere. Græca quæ habentur p.* 171; *καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα; ille p.*255. *typis Latinus ita excudi fecit:* ke taffta men di taffta. *Cur autem adeo vitiose Græca editor Latine scripserit, vides Benevole Lector ipsi ansam dedisse pronunciationem illam, quam multi tanquam veram & genuinam nobis obtrudere annituntur. Titulus ita se habet:* IMPERIORVM MVNDI CATALOGVS ET DESCRIPTIO: &c. *Verum quisquis ille sit, qui istam editionem curavit, male meritus est & de Botero & de re literaria. Etenim* Johannis Boteri librum de origine urbium, earum excellentia & augendi ratione *discerpsit & tantum libri secundi partem posteriorem*

riorem à capite quarto & tertium excudit, omisso integro libro primo & prioribus secundi libri tribus capitibus. Detestandum profecto facinus & quod nil nisi turpe lucrum bibliopolæ emptoris pecuniæ inhiantis redolet. Porro seculi hujus anno vigesimo IVSTVS REIFENBERG ICtus has relationes Boteri, emaculavit, exposuit, (ut sonant ipsius verba) auxit, notisque illustravit. Inscriptio talis: POLITIA REGIA: &c. Istam fortunam expertæ sunt, Candide Lector, hujus viri Relationes, ut quoties excusæ, toties novum aliquod nomen sint sortitæ; primo enim AMPHITHEATRIDION, deinde MVNDVS IMPERIORVM, postea IMPERIORVM MVNDI CATALOGVS ET DESCRIPTIO, tandem POLITIA REGIA hoc Boteri scriptum audit, forsitan etiam plura nomina (inter quæ illud de REGIA SAPIENTIA Boteri,) accepit.

Tantum de Latinis, sequuntur editiones Germanicæ, quarum duas memini me videre. Constituunt autem alteram partem der Allgemeinen Welt-Beschreibung des Boteri. Prior prodiit Coloniæ 1596. in 4. majori: posterior Monachii in Fol. Isti nomen interpretis non erat additum, hæc præ se ferebat nomen Ægidii Albertini. Index authorum Politicorum (quem in fine adjeci) Reifenbergii (cujus etiam notas in Boterum & Belgium inserui expetente typographo) refert etiam Mundum Imperiorum in linguam nobis vernaculam conversam esse à Johanne à Brussel. Notandum tamen Teutonicas esse meliores Latinis superioribus. Etenim

tanta

tanta copia vitiorum scatent, ut non potuerim una vice omnia tollere. Profluxerunt verò partim ex ignorantia Interpretis Latinæ, ut apparet, linguæ minus gnari; quod enim ipsi reddendum erat per in ordinem redegit *vertit barbare per* disciplinavit: *partim ex incuria typothetarum. Hinc non raro conjectura mihi vix licuit Boteri mentem assequi. Pag. 240. Colonienſis habet:* Quartum genus militum conficiunt Arabes, qui continuo vivunt in suis Avaris (ita vocant sua castra quorum quælibet jacentum ad 120 tentoria compartita sunt sub diversis Præfectis, quos Alcaidi nuncupant, ut cum opus est parati sint. *Conspirant hac in re cum Colonienſi Lubecenſis l. Dd. 2. Vrſellenſis p. 163. Marpurgenſis. p. 180. Quid sibi vult* jacentum? *quis sensus? Substitui igitur* à centum, *ut hic sit sensus: quod quælibet eorum in se contineant centum aut ad summum centum & viginti tentoria.*

Præter ea, quæ jam laudavi Boteri scripta, recensentur sequentia Della ragione di stato (*excusum Venetiis Ital. & Lat. Vrſellis; quod etiam Caspar Ens inseruit Scholæ politicæ*) Otium honoratum, La 1 & 2 parte de Prencipi Christiani, Relatione della Republ. Venetiana, *in 8. Venet. 1605.* Aggiunte alla sua ragion di Stato. Relatione del Mare, Discorso dello stato della Chiesa, *Vide si lubet* Catalog. Bibliothecæ Bodleianæ pag. 81, & appendicem p. 28. (*circumfertur etiam inter Politicos Boteri liber, cui ipsi titulum fecit:* La Lega. Naudæus Bibliogr. pol. p. 74. *Lubecæ prodiit anno seculi nostri tertio* Joh. Boteri Spiegel Hoher Fürstlicher Personen *Georgius Draudius edidit cum libris de Vrbibus Iob. Boteri de illustrium statu ac politia libros X. A. 1602. Plura de Botero ejusq; scriptis me pro Tua, Benevole Lector, humanitate edocebis. Interim meo conatui de bono publico saltem non male merituro fave, menda, quæ operarum negligentia irrepserunt, emenda & non amplius Argos nasci cogita. Vale.*

CAPVT

CAPVT I.
DE
REGNO FRANCIÆ.

HABET Francia pro terminis Alpes, qui ipsam ab Italia dividunt, Rhodanus separat ipsam à Sabaudia, Araris à Sebusianis & Heduis, Mosella à Lotharingia & Ducatu Lucemburgensi. Aa rivulus Flandriæ à latere Occidentali est, ad Meridiem Mare Mediterraneum & Pyrenæi montes, ad Occasum Oceanus, ad Septentrionem Mare Britannicum. Extendit se in latere Meridionali Septentrionem versus à Lotharingia Caletum usque spacio quasi ducentarum leucarum Francicarum, dilatatq; se paulo minus inter Ortum & Occasum à flumine Varo ad Paurum usque, restringit se tamen tanto magis, quanto plus Septentrioni accedit. Ejus minima latitudo est inter Caletum & Britanniæ Promontorium. Figura ejus inter quadratum & rotundum est, ideoque multo capacius, quam quispiam arbitretur. Continet Provincias amplissimas, sed præcipuæ sunt: Picardia, Normannia, Britannia, Francia, Campania, Burgundia, Arvernia, Delphinatus, Provincia: nec sunt tamen contemnendæ Bria, Beelsia, Turonia, Andegavensis Ducatus, Santonia, Biturigum Ducatus & aliæ. Initium eius est in 420 gradu experiturque talem aëris diversitatem, ut pars quæ ad Mare Mediterraneum est, (ubi sunt Langvedocia & Provincia) producat omne fructuum genus, quod dat Italia. Ea autem, quæ ad Mare Britannicum est, (ubi sunt Britannia, Normanniæ & Picardiæ pars) vinum non profert; reliquum regni abundat plus, quam credi possit, omni Europæ fructuum genere, exceptis olivis, ficubus & similibus. Aëris benignitas bonitati terræ, & fluviorum oportunitati conjuncta adeo propitia commodaque est productioni frugum, omnisque generis animalium, ut ea in re Francia omnes alias Europæ partes superet; inter montes enim Arvernix, & Delphinatus & nostrum ma-

re aër adeo temperatus est frigore montium perpetua fere nive operorum & leni aura marina, ut ob oculos ponat cœli benignitatem, qua gaudet ora Genuensis. Ab alia autem parte sunt Montes Pyrenæi valli loco adversus frigus, quod retunditur perditq; suam rigiditatem: ipsi montes abundant undiq; balneis & venis aquæ calidæ. Venti Septentrionales, qui, sicut communis opinio fert, aërem refrigerare deberent, non sunt ibi adeo gelidi, sicut in aliis locis; capiunt enim venti partem naturæ locorum, per quæ transeunt. Si transeunt per montes nivosos, adferunt secum frigus illorum montium: si per stagna, inficiuntur: si per silvas, corrumpuntur: si per regiones arena obsitas, incalescunt: si per lacus aut mare, refrigerant. Accidit hinc, ut venti Panormi in Sicilia sint extreme calidi; antequam enim eo perveniunt, verrunt campos Siciliæ, accipiunt eorum calorem, feruntque eum in dictam civitatem. Notus est frigidus Genuæ, quod, antequam eo perringat, mare transit, nec attingit terram, recipitque maris frigiditatem. Aquilo autem, qui per Franciam spirat, venit à mari, quod sua salsitate caloris aliquid habet, nec impingens in montes glacie aut nive obductos, exerit se curritque per campos Normanniæ, Campaniæ, Franciæ, aliarumq; Provinciarum ad montes Arverniæ usque. Aptior itaque est Aquilo temperandæ montium frigiditati, quam ut perdat suam temperiem- Ii montes itaque, à ventis Meridionalibus ab uno, & à ventis â Septentrione flantibus ab alio latere calefacti producunt undique optima pascua, aluntque magnum armentorum, & gregum numerum, herbas quoque medicinæ commodas & simplicia perfectissima. Inter multos illorum montium ramos est unus, qui Mons Aureus dicitur, propter herbarum copiam, & simplicium nobilitatem, Horum omnium nos Anglia certos reddit. Quamvis enim ipsa magis ad Septentriones vergat, quam Francia, quod tamen nullos montes, mare autem uudique habeat, est ibi aër satis temperatus. Multo autem temperatior est Francia; quod à Polo longius absit; docent id vites, qui in Anglia non matureſcunt: reddunt autem vites in Francia vina perfectissima, acciditque sæpe, ut ventus marinus à Septentrione, aut ab Occasu exorsus, hiemem in ver mutet, vireantque campi lætis floribus, vestiantur horti, renovetur tota fere natura, ita ut habitatores Turoniæ, Pictaviæ, Insulæ Franciæ, Limaniæ (non solum Provinciæ, vicinique populi) nec Lacui Benaco, (qui

nunc

nunc Lago di Garda dicitur) nec locis amœnioribus invideant. Terra Franciæ tota fertilis & fructifera eſt. Appenninus occupat fere quartam Italiæ partem, eſtque ut plurium aſper redditque paucos fructus, ſed fundus Franciæ undiquaque omnis boni dives eſt. Montes Arverniæ (qui tamen multi non ſunt) habent multa bona oppida, multa opulenta fertiliaque loca, in quibus ars pecuaria exercetur, inſtruuntque carne, butyro, & caſeis excellentibus bonam regni partem. Regni fere reliquum explicatur in latos campos, feracibus colliculis, herboſisque vallibus diſtinctos. Vndique copia cum varietate, fertilitas cum deliciis, ſitus utilitas cum pulchritudine regionum contendit; in hoc absque dubio cedit Franciæ Italia. Quamvis enim in aliquo ejus angulo amœnitas ſingularis & excellentia ſitus perſpiciatur, qualis ejus, quæ vulgo Pieve Incini, Riviera di Salo, Conrado Vicentiæ, appellantur, Campania fœlix, Territorium Crotonienſe, & Tarentinum, aliquarumque aliarum civitatum Calabriæ, ſunt ea hic ſingularia, in Francia communia, præcipue in Burgundia, Bria, Inſula Franciæ, Turonia, Andegavo, Santonia, Languedocia, ubi apparet ſitus à natura diſtinctos eſſe, & compartitos ſua manu, aliquos Cereri, alios Baccho, alios Pomonæ, aliquos Palladi dicatos. Sed alia res viſu & conſideratione dignior in Francia non eſt, quam multitudo, & amœnitas fluviorum navigabilium, quorum pars eam cingit, ſicut Araris, Rhodanus, Moſella, Soma: pars mediam percurrunt eam, ſicut Sequana, Ligeris, Garumna. In hæc tria flumina influunt partim ex regni extremitatibus, partim ab ejus meditullio, tot alia flumina, ut totum regnum ſupra modum mercatile, communicationique rerum aptum reddant, ita ut propter incredibilem commoditatem, quam præbent vecturæ mercium, populorumque commercio, dici poſſit, populis illius regni omnia communia eſſe. In ſolo Ducatu Andegavenſi numerantur 40. flumina magna & parva; unde Catharina Medicæa Regina Franciæ ſolita erat dicere: in eo regno plura navigabilia flumina eſſe, quam in reliqua Europa. Hyperbole ſane, quæ à veritate non longe diſcedebat. Terræ fertilitas & commoditas, quam flumina vehendis devehendiſq; mercibus præbent, faciunt, quod tot urbes & oppida in Francia ſint, quæ ut plurimum in ripis fluviorum ſita ſunt. Quamvis Franciæ multi bonique portus non deſint, meliores tamen civitates, non ad mare, ſed in locis mediter-

raneis ſitum obtinenr. Ex eo colligitur, ipſarum amplitudinem non extrinſecus venire, ſed quaſi domeſticam eſſe; ſunt enim civitates maritimæ ibi mediterraneis majores, ubi plus auxilii ſuſtentaculique â mari quam à terra recipiunt, ut Genua, Venetia, Epidaurus, quæ vulgo Raguza dicitur. Sed ubi civitatum magnitudo & amplitudo eſſentialiter, ſolumque dependet à terra, ibi civitates mediterraneæ excedunt maritimas. Talis eſt Mediolanum, & alia Longobardiæ, Flandriæ, Germaniæ & Hungariæ oppida. Cum autem terræ opulentia, communis toti Ftanciæ, & fluviorum oportunitas generalis ſit, accidit inde, ut excipiendo Lutetiam Pariſiorum (cujus amplitudo procedit à ſede Regis, Curia, Academia, quibus accedit fluviorum vicinitas) civitates & oppida Franciæ, ut plurimum mediocria aut parva ſint, oportuna tamen, & pulchra frequentiſſimaque. Scribit IOHANNES BOBINVS deſcriptione tempore Regis Henrici II. facta (in qua non comprehenſa fuit Burgundia) numeratos fuiſſe 27. mille pagos campanalibus inſtructos. Alia autem deſcriptione, quæ regnante Carolo IX. facta eſt, repertum fuiſſe, quod habitatorum numerus 15. milliones excederet. Sicut autem Franciæ civitates & oppida favorem fluminum experiuntur, ita & arcibus villiſque nobilium privatorum, parvi lacus, ſtagnaq; favent. Quamvis hujus Provinciæ lacus, Italiæ & Helvetiæ lacubus conferri non poſſint, ſunt tamen in ea tam multa ſtagna optimis piſcibus plena, ut eorum frequentia ſuppleat magnitudinem. Idem de ſylvis dici poſſit, quæ non adeo ſpacioſæ, ſed frequentes ibi ſunt, ex quibus percipiebatur quondam bona cenſus regii pars; ſunt autem nunc prorſus oppignoratæ. Habent quoque nobiles magnos reditus ex ſuis ſylvis propter copiam lignorum pro focis, ſed multo majores ex ligno ad fabricas faciendas; nam ob defectum calcis fit maxima ædificiorum pars ex ligno. Regnum Franciæ tantam habet commeatuum copiam, ut qualemcumque exercitum in campis nutrire ſuſtentareque poſſit; commeatus enim propter fluminum commoditatem facillime ex uno loco in alium conduci poſſunt. Quando Carolus V. ex Provincia, & deinde ex Campania ingreſſus eſt Franciam, ſuſtinebat ea plus quam 150 militum millia ultra Præſidiarios. Regnante Carolo IX. & noſtris temporibus fuerunt in eo regno 20 equitum, & 30 peditum extraneorum, 15 equitum, & centum peditum indigenarum aut naturalium millia, nec tamen

regnum

regnum caritate laboravit. Sunt deinde in Francia quatuor Magnetes, qui foris ad se pertrahunt pecuniam: FRVMENTA, quæ inde in Hispaniam & Portugalliam vehuntur. VINVM quod in Flandriam & Angliam & ad Maris Balthici accolas mittitur. SAL quo toti regno, & regionibus vicinis prospicitur: Provincia quoque sal coquit in Mari Mediterraneo, idque conficit Santonia ad Brovagium, ubi Solis virtus generandi, faciendi & coquendi sal ex aqua marina cessare, nec ultra Septentrionem versus transire apparet. Ex aqua maris dico, quia ulterius reperitur sal ex aqua fontium, ut in Lotharingia, & ex fontibus & minæris, in diversis locis Poloniæ, Angliæ, Germaniæ: ex minæris quoque effossum fuit in Suecia, quamvis nunc cessat. CANNABIS & TELÆ, quæ quanti census sint, vix credi queat. Is autem de eo judicium facere poterit, qui scit quanta ejus copia, instruendis classibus Vlyssipponensibus & Hispalensibus evehatur, & quantum in vela & funes, qui ex cannabi conficiuntur, insumatur. Sunt ibi quoque glastum, crocus, aliæque res minoris momenti, quæ quamvis singulæ res supra dictas non æquent, aut rebus supra dictis pares non sint, omnes tamen simul junctæ ad bonam, & quæ regnum ditare possit summam ascendunt. Propter has omnium bonorum divitias dicebat Ludovicus XI. Franciam pratum florens esse, quod ipse metebat, quoties lubebat. Maximilianus Imperator solebat dicere, Regem Franciæ esse pastorem ovium cum velleribus aureis, quas tonderet, quoties ei opus esset. Certum profecto est, Reges Franciæ adeo potentes fuisse, ut si ingenio & prudentia, quantum viribus facultatibusque, valuissent, in ipsorum arbitrio res Europæ sitæ fuissent. Sed raro accidit, ut vires comitem habeant prudentiam, eamque ob rem finxerunt poëtæ Herculem furiosum: Ludovicus Ariostus Rolandum fatuum, Virgilius Daretem insolentem canunt: Græci autem Barbaros dixerunt omnes populos, qui doctrina & artibus carerent: Homerus Achillem iracundum, Martem incautum, ipsumque reti Vulcani constringi canit. Quæ res enim plus metuenda, aut quæ potentia magis horrenda esse posset, quam Regni, quod intra suos limites abunde pascit 15. hominum Myriades, tantumque adhuc commeatuum habet, quantum ad pascendum sustentandumque magnum exercitum opus est. Abundantia enim populi, & commeatuum, sunt maximæ cujuscunque regni vires. Romani tribum rusti-

cam maximi fecere ob hominum frequentiam, & alimentorum copiam. Quod ad reditus attinet, Ludovicus XII. percipiebat ex regno Franciæ Myriadem & semissem. Franciscus I. pervenit ad tres Myriades, Henricus II. ad sex, Carolus IX. ad septem, Henricus III. superavit decem Myriades, Ludovicus XII. autem reliquit regnum auro argentoq; plenum, ideoq; dictus fuit pater populi. Franciscus I. quamvis maxima bella gesserit, feceritq; infinitas expensas, reliquit tamen in thesauro octingenta aureorum millia. Sed Henricus II. ejus filius, Carolum Imperatorem superare volens, sumensq; ab unoquoque pecunias fœneratitias ad 16. per centum, reliquit filios obligatos ære alieno, ad 30. Myriades aureorum, nec mercatores ei quadrantem credidissent. Vnde Cārolus IX. & Henricus III. ejus filii, magis tamen hic quam ille, non solum populum, sed & Clerum gravare maximis impositionibus coacti fuere. Vnde videri potest, divitias Principis non æstimari debere à magnitudine redituum, sed à bono regimine. Franciscus I. enim minoribus reditibus gessit majora bella, reliquitq; fidem apud mercatores, & paratam pecuniam filio. E contrario Henricus longe minora bella gessit, reliquitq; regno debita & calamitatem. Dictis reditibus aluere Reges prædecessores 1500. lancearios, & 4500. sagittarios, quamvis nomine fuerint 4. lanceariorum & sex sagittariorum millia perpetua stipendia merentium. Hic equitatus nervus inter Christianos pro unico aut solo habendus est. Vna lancea trahebat secum sagittarium, & turma lancearum turmam sagittariorum, quæ solo signo distincta erat. Eorum enim signum, vulgo Guidon dicebatur, unus enim. Capitaneus ambabus præerat. Conficiebant itaque centum lanceæ 250. sagittarios, præter ipsas lanceas. Impendebatur in hanc militiam una Myrias & trecenta aureorum millia annuatim; lancea enim recipiebat 250. aureos, sagittarius octoginta, signifer ter centum, Legatus 480, Capitaneus 820. Hanc militiam ad perfectionem reduxit Carolus VII. qui de terminavit numerum, stabilivit stipendium, in ordinem redegit eam exercitiis, disposuitque eam in locis limitaneis sub Capitaneis, Vicariis, Signiferis, Vexillariis. Divisit quoq; eam militiam in Cataphractos & sagittarios, adjunxit ei Scutiferos, Designatores diversoriorum, Diribitores, Solutores, Commissarios, ejusque militiæ curam commisit Connestabili, Mareschallis, & præcipuis regni Dynastis. Non multum utebantur pedita-

tu do-

tu domestico præ metu tumultuum & rebellionum. Carolus VIII. cognoscens quam necessarius esset peditatus, instituit Phalangem quinquies mille peditum Francicorum, eum numerum Franciscus I. ad 50. millia auxit; sed ea institutio in fumum abiit, propter malum regimen. Ludovicus XI. ut pro libitu populum Franciæ tondere, imo excoriare posset, eum inermem reddidit, conduxitque stipendio Helvetios, quam rem imitati sunt ipsius successores Franciscus & Henricus, usique sunt magno Germanorum numero. Sed fallit seipsum, qui suum populum imbellem fore sperat, si milites extraneos in suam ditionem introducit. Vsu enim armorum & periculorum belli paratur audacia. Vsus & experientia autem in suo regno militibus & populo communis erit, fientque illi pugnaces, si se milites esse profiteantur: hos defendendi necessitas bellatores faciet. Sicut enim conversatio cum bonis facit bonos, ita & frequentatio militum facit homines pugnaces. Sunt præterea multa negotia, quæ extraneis committi non possunt, quia non habent locorum notiam. Multa quoque eisdem ob negocii pondus credi non debent. Quare necesse, ut populi, in quorum patria diu manet bellum, partim per necessitatem, aut suam aut Principis, partim pròpter usum & experientiam rerum belli, quæ ipsis quotidie accidunt, fiant bellatores, sicut Franciæ accidit, quæ facta pace cum Hispanis (quamvis Helvetii & Germani abiissent) remansit plena militibus Francis, qui in ea omnia sursum deorsum volverunt. Quod Munitiones attinet non alia est regio, in qua earum major numerus sit, cujus hæ sunt causæ; quod cum regnum in plura dominia & Principatus divisum erat, nempe Burgundiam, Britanniam, Andegavensem Ducatum, Normanniam, unusquisque suos fines muniverit. Crevit numerus munitionum bellis Anglorum, qui magnæ Franciæ parti imperarunt. Situs & natura locorum, fortificationi oportunorum, nec minus diligentia & aptitudo populi ad has res reddit faciliorem locorum munitionem. Non alia natio est magis industria in muniendo & quæ labori & sumptibus minus parcat. Nec Francia minus fortis est intus, quam in extremis finibus. Bellovacum, Trece, Aurelia, Andegavum, Biturigum civitas, quæ vernacule Bourges dicitur, Limogia, SanFlorum, Carcassona, Suessionum, non cedunt fortitudine Caleto, Peronæ, Narbonæ, & aliis locis limitaneis. Aptaque est unaquæq; hujus regni pars, ut reliquo regno pro limite sit.

CAPVT

CAPVT II.

DE REGNO ANGLIÆ.

INter Europæ Insulas, tam magnitudine, quam potentia, primum sine dubio locum obtinet illa, quam antiqui Britanniam nuncuparunt. Ejus ambitus mille & sexcentis milliaribus patet, divisaq; est in duo regna, quorum unum Scotia, alterum Anglia dicitur. Causa divisionis, est fortitudo Scotiæ, quæ adeo aspera, montosa, impeditaq; multis lacubus & sylvis est, ut nec arma Romana eam unquam plane domare potuerint. Severus Imperator amisit in ea maximam sui exercitus partem. Reges Angliæ (quamvis viribus multo superiores & multis præliis victores) nunquam potuerunt eam sui juris facere. Lacus, sylvæ & paludes, (quæ in planicie stagna efficiunt) sunt ei pro vallo aggereque, quibus natura eam munivit fortemq; reddidit. In verticibus montium, non desunt planicies herbidæ, pascuis pecudum commodæ & densæ sylvæ, feris abundantes. Hæc regnum optime muniunt. Cum enim dicta loca scopulosa montosaque sint, & nihilominus pascuis & sylvis copiosa, nunquam timuerunt aut impressione cogi, aut si obsiderentur, fame premi; defendit enim eos contra vim hostium asperitas montium, & sylvarum amplitudo. In obsidionibus sustentant se armentis & venatione, quæ nunquam deficere possunt. His accedit frequentia populi armorum usu & animorum ferocia præstantis; possunt enim necessitate postulante colligere 25 aut 30 hominum millia, ut hostibus resistant. Confisi fortitudini situs locorum & armorum usui, non dant operam muniendis civitatibus aut portubus, qui satis frequentes sunt in hoc regno, cum mare ibi admodum sinuosum sit, ita ut in tota Scotia, domus non exstet à salo plus quam 20 milliaribus distans. Scotiæ Rex imperat quoq; Hebudibus, quarum 42 & Orcadibus quarum 32. sunt. Cum autem nec Scotia, nec dictæ Insulæ annonæ copia, qua eis ad victum opus est, superabundent, nec populi multum artificiis addicti sint, commeant eo pauci mercatores, estque populus pecuniarum indignus. Reditus Regii non sunt centum aureorum millium. Anglia autem, de qua nunc incidit sermo, dividitur in tres magnas Provincias, Angliam, Cornubiam, Walliam. Anglia

glia extendit se ad Mare Germanicum: Cornubia est in opposito Galliæ: Wallia contra Hiberniam. Capit hoc nobilissimum Regnum duos Archiepiscopatus, Cantuariensem & Eboracensem, 20 Episcopatus, & 136 oppida. Tempore Henrici Regis, & Eduardi ejus filii fuisse recensentur 40 Parochiarum millia, quæ occupatione bonorum Ecclesiasticorum ad ejus numeri circiter dimidium redactæ sunt. Cornubia & VVallia sunt satis asperæ, victitatque populus in partibus mediterraneis lacticiniis & avena, maxime in VVallia, quamvis natura ibi locarit insulam Monam, quæ vulgo Anglesei dicitur, estque frugibus & pecudibus adeo fertilis, ut merito VValliæ mater dicatur. Cornubia, quam alii Cornvvalliam dicunt, est abunde dives fodinis præcellentis stanni & plumbi. Anglia amplitudine, divitiis & fertilitate, dictas duas Provincias multum superat: & quamvis aliquantulum Septentrionalior sit, nihilominus maris beneficio aut occulta siderum virtute aër ibi benignus temperatusque est, potius densus & humidus, quam rigidus & frigidus, quod demonstrant lauri & rosmarini, qui virent florentq; feliciter. Estque res certa, quod Flandria & Brabantia plus à frigore & glacie infestentur, quam Anglia, in qua terra ut plurimum plana est, amœnis & fertilibus colliculis distincta, qui adeo placide & paulatim assurgunt, ut eos è longinquo intuentes à planicie non distinguant. Præcipua hujus regni annona sunt frumenta, pecudes & pisces, quorum abundantia, bonitas, perfectioque tanta est, ut Franciæ non invideat, imo nulli regioni vicinæ. Inter alias res caro maxime porcorum & boum, pisciumque luciorum & ostrearum est ibi magis sapida, quam in aliqua alia Europæ parte. Anglia non producit mulos nec asinos, sed equos infinitos. Opes Angliæ consistunt in venis nunquam deficientibus stanni & plumbi: sunt in ea quoque venæ æris & ferri; habet quoque maximam abundantiam lanæ tenuissimæ. Fere in toto regno, præcipue autem in Cornvvallia effoditur stannum tantæ excellentiæ, ut ipsi non multum ad qualitatem argenti deesse videatur: ejus similiter & plumbi evehitur ex hoc regno pro aliquot centum mille aureis. Lanæ habent hic suam bonitatem propter colles, quibus regnum plenum est: in iis assurgit herbula parva tenuisque, quæ nec irrigatur fontibus aut rivulis, nec stercoratur, sed ipsi hyeme aëris vapor, æstate ros sufficit; estq; ovibus adeo grata, ut ferant vellera singularis tenuitatis & molliciei

Cum insula non generet lupos, nec aliud noxium animal, vagantur greges interdiu noctuque per colles, valles & agros, tam privatos quam publicos sine metu aut periculo. Ex lanis texuntur panni delicatissimi, qui magno numero in Germaniam, Poloniam, Daniam, Sueciam & alias regiones evehuntur, ubi magno in precio sunt. AEstimatur quod in lanificio & metallis, evehitur ex regno, pro duabus myriadibus aureorum : colliguntur in eo multa legumina, multum quoq; croci : multum etiam cerevisiæ ex hordeo coquitur, mittiturque copiose in Belgium, sicut & coria & lapides nigri faciendo igni accommodi. Situs insulæ commoditas facit, ut à mercatoribus Lusitanis, Hispanis, Francis, Flandris, Maris Balthici accolis apprime frequentetur. Negociatio, quam Angli cum Belgis faciunt, ad summam fere inæstimabilem accedit; scribit enim Ludovicus Guicciardinus, id commercium ante tumultum Belgicum, æstimatum fuisse ad 12 Myriades aureorum quotannis. Coronæ Anglicæ subjacent quoque aliquæ aliæ insulæ, præcipuæ autem sunt Hibernia, Vectis, Monavia, Mona, Druydum olim sedes quam Angli Anglesei dicunt, Sorlinge, Grenezaia & Gerzaia. Hibernia amplitudine non multum Angliæ cedit, longa est enim 300 milliaria, lata 90, montosa, sylvosa, paludosa, pascuorum quam frugum feracior, dives lacte & melle : emittit magnam quantitatem butyri, coriorum & croci. Multa in ea flumina, piscosiqué lacus sunt. Duos habet Archiepiscopatus, Armacanum & Casselensem. Locus Hiberniæ clarior celebriorque est Dublinum portum habens munitum. Insulæ pars, quæ ad Ortum & Meridiem spectat, frequentius inhabitatur. Provinciæ autem Vltonia, Conachia, & Mononia ad Occasum & Septentriones sitæ sunt satis asperæ & sylvestres : ibi se aliqui Domini, beneficio lacuum & sylvarum contra arma Anglica tuentur. Aliæ tres Insulæ magnitudine fere pares sunt. Mona habet optimum territorium, dicitur que mater Cambriæ, propter frugum pecudumque copiam, quam ei suppeditat. Menavia distat Anglia 25. milliaria : Episcopatu & duobus portubus gaudet, sed ejus territorium parum fœlix est. Vectis fere tota montibus asperis occupatur : est in ea Abrach civitas optime munita ; hæc insula claudit portum ; imo potius Sinum Antònnæ, qui contra eam est, interq; meliores illius Canalis censetur. Anglia fortitudine sui situs, superat omne aliud regnum : habet enim per excellentiam duas illas proprietates,

quas

quas Aristoteles in situ civitatis requirit. Vna est, quod hostibus accessu difficilis: altera, ut ejus exitus facilis sit ad faciendum expeditiones. Est Anglia in Mari, cujus ea est natura, ut regnum fortificet. Mare Hibernicum enim, quod ei ad Occasum est, adeo depressum, & scopulis periculisque plenum est, ut magnis navibus non sit pervium. Maris Britannici (quod Angliæ ad Meridiem est) æstus, ibi cum tanto impetu reciprocatur, ut à 12 ad 15 passus altum turgeat (horrenda profecto hæc res est) & iterum tantum resideat, possuntque naves difficulter appellere, nisi vento & æstu adjutæ, sed altero multo magis. Ora maris undiquaque aspera est, præterquam aliquot locis, quæ optime munita sunt sicut Barvicum, Douvera, Tomes, Dorcestria, Dermont, Bleimutum, Falmut, Milfort, Brigstovia. Vnde tota insula pro uno munimento & castro censeri posset. Fortitudini situs adjunguntur arma maritima & terrestria. Quod ad maritimas vires attinet ultra Myoparones classis (quorum quondam centum esse solebant, non valde alti, sed longi & densi, nunc 70 aut paulo amplius sunt) habet regnum tot portus, iique à mercatoribus adeo invisuntur, ut Angli dicant, numerum navium, quæ ibi negociantur accedere ad bis mille. Sed quidquid de eo sit, certum est earum cum opus est, 400 aut plures colligi posse. Eduardus III. transmisit ad expeditionem Caletensem, Henricus IIX. ad obsidionem Bolonienſem cum mille navigiis omnis generis. Itaque insulam aggredi, cujus portus propter munitiones ibi factas accessu, non tantum introitu difficiles & periculosi sunt, & quæ in sua potestate tot naves habet, arduum erit, factuque haud facile. His difficultatibus accedit, quod Angliæ populus in rebus maritimis mire dexter sit: non enim alia gens audacior, nec mari promptior est. Ipsi navibus levissimis apprimeque optimis tormentis bellicis instructis (quibus regnum maxime abundat) intrepide tam hyeme, quam æstate Oceanum sulcant: negociantur in Moscovia, Cathajo, Alexandria Ægypti, Constantinopoli, in Livonia, Barbaria, Guinea. Anno 1585 classe 25 navium (in qua erant 2500 milites) vela fecerunt in Indiam occidentalem, ceperuntque San Iacobi oppidum, Fanum Dominici in Hispaniola, Cartagenam in Continente (quæ portum habet commodissimum ad mercaturam inter Hispaniam & Peruviam exercendam) Civitatem S. Augustini ligneis ædibus constructam, quæ ab Anglis injecto igne exusta fuit.

Infestant continuo Terceram & Capitis viridis insulas,& Brasiliam. Duo ipsorum Capitanei, non minori audacia, quam fortuna, circumnavigarunt totum Orbem. Est praterea in Anglia militia terrestris magni momenti propter ejus multitudinem; cum enim regnum in 51 Comitatus partitum sit, in eorum uno, qui vulgo Lancaster dicitur, exercitum 70 peditum millium conscribi posse putatur: Sed utcunque res se habet, in confesso est, quod Anglia in campos educere possit centum peditum, & 20 equitum millia. Vnicuique Comitatui praest Vicecomes, is cum opus est, delectum militum facit. In faciendo delectu, modo qui sequitur utuntur: cogunt omnes habitatores Comitatus, qui annum sextum supra decimum attigerunt, nec sexagesimum excesserunt, se sistere, ex quibus eos deligunt, quos armis magis putant egregios. In peditum numerum adscribuntur majores membrosioresque, dividiturque peditatus in quatuor genera. Aliqui utuntur arcu & sagittis, quæ arma Anglis propria sunt; olim enim iis sibi acquisiverunt maxmiam Franciæ partem, retuleruntque victorias glorioſas, fecerunt captivum Regem Franciæ Iohannem, occuparunt Lutetiam Parisiorum, quam 16 annis tenuerunt, Romanis non tam fuerunt tremendæ sagittæ Parthorum, quam Anglorum Francis. Alii utuntur pro armis hastis sparo similibus, sed ferro magis solido & graviori, quibus percutiunt & ex equis detrahunt homines: hoc armorum genus diu diuturnum fuit militiæ Anglicanæ, & satis magnæ executionis. Duo alia addidit experientia ususque temporum præsentium: unius generis sunt Sclopeta, quibus ipsos huc usque aliquod experimentum alicujus magni exempli dedisse nescio; alterius sunt Sariſſæ, quæ ipsorum staturæ quam optime conveniunt; sunt enim ut plurimum statura satis alti, nervosi, pleni & firmi. Pro militia equestri seligunt homines staturæ mediocris, sed bene compactos, dextros, agilesque. Eorum equi magnarum virium non sunt, nec incursione impulsuque boni, Flandricisque aut Germanicis minime conferendi. Præterquam enim, quod pinguedo & amœnitas terræ id non fert (boni enim equi nec terram valde crassam, nec prorsus siccam requirunt) nec ipsi iis multum dediti sunt. Angliæ equitatus duorum generum est: aliqui equites se gravibus armis induunt & hi maxima ex parte nobiles sunt; alii levioribus armis utuntur, horum duo sunt genera: unum se Albanensium more armat; aliud equitibus levis

vis armaturæ Italicis similius est, induuntur thoracibus, squamis & tela cannabina farcitis, aut laminis & semigalea utuntur, gestantque lanceas graciles & longas; Quamvis autem Angli ad duo equitum cataphractorum millia, & magnum levioris armaturæ equitum numerum in campos educere possint, haud tamen equitatus Anglicus se aliquo præclaro facinore nobilem fecit, sicut de peditatu dici potest. Rex Eduardus IV, qui tot expeditiones in Franciam suscepit, totque victorias assecutus est, ut monstraret, cui militiæ generi maxime fideret, relicto equo se in pedes inter peditatum conjiciebat. E contrario Franci, quod nolint plebem armis assuescere, ne opificia manuaria, & negociationem spernant relinquantque, ac inter arma insolescant (in quod Franci proni sunt) ponunt militiæ vim in equitatu, qui ex nobilibus fere constat. Cum autem equitatus multus esse non possit, quod Francia equorum egregiam progeniem non habeat, eosque semper aliunde quærere, res magnæ impensæ sit, idcoque generosos equos sibi parare non queant, & quod peditatus multo majori usui, quam equitatus in bello existat, ordinarie Franci ab Anglis superati fuere. Sed ut doceamus quantas Rex Angliæ copias educere possit, ponemus hic exemplum: Rex Henricus VIII. in expeditione Bolonienſi transmisit mare cum exercitu trifariam partito: in prima acie erant 12. peditum millia, quingenti equites leviter armati, & mille equis minoribus merentes, lorica & lanceis tantum instructi, Rex omnes vestiverat panno cyaneo limbis rubris. Postrema acies, (ea enim acies post primam mare trajecit) quam ducebat Norfolcius, erat primæ, peditum equitumque numero par, vestibusque induta, sicut primæ aciei milites. Inter eos erant mille Hiberni, induti camisiis longis strictisque, super quas erat pallium, cætera nudi, capite quoque aperto, capillis longis. Arma eorum erant tria jacula, ensis longus, & chyrotheca ferrea in sinistro brachio ad cubitum pertingens, in pugnis cingebant vestes altè, in cursu erant expeditissimi. Média acies, in qua Rex erat, ex 20, peditum, & 2. equitum millibus constabat, eorum vestes erant coloris rubri, marginibus coloris crocei distinctæ. Trahebant post se centum tormenta bellica majora, præter minora. Super currus convehebant centum molas, quarum unaquæque ab uno equo rotabatur, faciebatque farinam: clibanos quoque in curribus habebant, qui progrediendo panem coquebant, curruum multitudo tan-

ta erat,ut caſtra iis cingerentur tanquam vallo. Ad trahendum currus & tormenta,vehendumq; impeditamenta, tranſmiſerunt in continentem plus quam 25 equorum millia: præter omne genus commeatuum, aderant 15 boum millia, & pecorum aliorum ad edulia facientium numerus infinitus. Quanta fuerit copia ſcalarum, pontium, glandium, pulveris pyrii,munitionum,lignorum, aliarumq; rerum ad expeditiones militares pertinentium, non poſſum enumerare. Demonſtratis viribus Angliæ, videndum quibus nervis redituum & pecuniarum eæ inſiſtant. Præmittendum eſt, Regimen regium Angliæ (in qua authoritas Parlamentorum multum potuit)nunc ad regimen deſpoticum reductum eſſe. Maxima enim negociorum pars, quæ antea ad Parlamenta ſpectabant,(in quibus unusquisque, quod ſibi videbatur eloqui, ſuasque rationes adducere poterat)deciditur nunc in Regis conſeſſu privato. Parlamenta autem quæ ad moderandum & tanquam regula Regum appetitus coercendum, inſtituta ſunt, convocantur nunc,ut authoritatem concilient,coloremque inducant Regum voluntati. In Francia pejus ceſſit res;cum enim in Anglia,ſaltem forma & uſus Parlamentorum remanſerit, in Francia Rex Ludovicus XI. pro crimine læſæ majeſtatis habuit, mentionem facere convocationis Statuum (ita vocant Dietas regni Francici,quæ in Anglia Patlamenta dicuntur) inquiens: Ego ex pediſſequis & pupillo exceſſi. Reditus ordinarii regni Anglicani, antequam Henricus VIII, bona eccleſiaſtica occupaſſet, accedebant ad quingenta aureorum millia. Percipiuntur hi reditus, ex tutela pupillorum ad 21 ætatis annum uſque: ii enim omnes, quorum bonorum aliqua pars quantumvis exigua, coronæ regni aliquo modo obnoxia eſt, ſunt durante pupillari ætate ſub tutela Regis, qui eis tenue ſuſtentaculum impertitur, ſervatque ſibi reſiduos reditus,donec pupilli 21 ætatis annum attigerint,quem ingreſſi, Regi certi aliquid perſolvunt. Obligantur præterea ad tributum, quod Regi pro nuptiis pendunt, qui ſe patronum matrimoniorum dicit. Percipit præterea Rex, plus quam 80 aureorum millia, ex Ducatibus Lancaſtriæ & Cornubiæ,qui coronæ conjuncti ſunt. Præter hæc alia centum Aureorum millia ex vectigalibus recipit. Mirari nemo debet, quod ea ſumma adeo exigua ſit, ratio eſt, quod paucæ civitates vectigalia pendant,& civitas Londinenſis(quæ veluti centrum commerciorum regni eſt) ab oneribus libera facta ſit Anno 1089 ob-

pecu-

pecuniarum auxilium, Regi Ricardo I. cum in expeditionem terræ Sanctæ proficiſceretur ſubminiſtratum. Dictis reditibus, alios adjunxit Rex Henricus IIX: concidit enim reditus Epiſcopatuum, adſcripſit fiſco Abbatias, & Commendas Equitum Rhodiorum, aliorumq; ordinum militarium: ſuppreſsit Curas (ut vocant) opulentiores, vendicavitq; ſibi Annatas & decimas omnium beneficiorum. Pro his rebus ordinavit curiam augmentationum & decimarum, qui reditus omnes important plus quam octingenta aureorum millia. Reditus itaq; ordinarii accedunt ad ſummã unius Myriadis, & trecenta & amplius aureorum millia. Sunt præterea ſubſidia extraordinaria, quæ duorum generum ſunt. Aliquando enim toti regno imperantur, tunc convocantur Parlamenta, in iis quid opus ſit determinatur, & modus ordoq; qui ſequẽdus eſt. Ordinarie duorum menſium ſpacio, aut paulo amplio colligitur, quod determinatum eſt. Aliquando petit Rex à particularibus ſubſidium, quod ipſi beneuolentiam vocant, ea in re conatur unuſquiſq; ſuum obſequium Principi probare. Noſtris temporibus inventa eſt alia via conflandi pecunias. Nempe ex quinta parte, aut ſimili quæ coronæ penditur ab iis, qui licentiam habent prædas faciendi, in oris maritimis Hiſpaniæ & Novi Orbis. Soliti ſunt idem facere, facitque id adhuc Prorex Algieræ, qui piratas recipit cum pacto, ut partem mancipiorum, prædarum ſpoliorumque ei dent. Sed raro accidit, ut male parta, nõ male dilabantur: eos namque qui prædatum excurrunt, ſæpe manet damnum; vendunt enim patrimonia, ut arment naves, ſed lucrum incertum eſt. Hiſpani enim qui initio ex improviſo obruti fuerunt, fortificant quotidie acceſſio, ſecurasque reddunt ſuas claſſes. Hæc de viribus & reditibus Angliæ dixiſſe ſufficiant. Addam hoc tantum, quod in Anglia nobiles loca munita non poſſideant, nec ædificia foſſis aut vallo clauſa, nec aliquã jurisdictionem in populum habeant. Dignitates Ducum, Marchionũ aliæque, nihil aliud quam purr tituli ſunt, quos Rex eis confert, nec tamen ii, qui titulis gaudent, aliquid in locis unde titulum ſumunt, poſſident, ſed ſe aliqua penſione ex ære regio ſuſtentant. E contrario gaudent nobiles in Frdncia, mero & mixto imperio, cum titulis Dominorum, Baronum, Comitum, Marchionum, Ducum, Principũ: poſſident magnas & bonas ciuitates, non tantum pagos, clientes quoque habent, qui ipſis homagium & fidem præſtant, ſed Regem & Parlamenta in ſuperiorem agnoſcunt.

CAPVT

CAPVT III.
DE
REGNO DANIÆ.

QVamvis nulla Sveciæ mentio facienda videatur, quod quasi extra noſtrum Orbem ſit (quibuscum nobis nihil commercii eſt) tamen propter ejus amplitudinem, inter alia regna, de quibus in his Relationibus agitur, poni meretur. Continetur illa Europæ parte, quam aliqui Scandiam, alii Scandinaviam, alii Balthiam dixerunt, unde olim Gothi Vandalique Imperii Romani conculcatores egreſſi. Duabus coronis ſubdita eſt, Daniæ nempe & Sveciæ. Daniæ Rex præter Cimbricam Cherſoneſum, ubi Holſatia, Theutomarſia, Ducatus Slesvicenſis & Flensburgenſis, Frieſa, & Iuthia regiones herboſæ, ideoque pecoribus & feris abundantes ſunt, poſſidet præterea alias amplas inſulas, ſed præcipuæ ſunt eæ, quæ ad oſtium Maris Balthici jacent, quarum ibi quindecim numerantur & comprehenduntur ſub Daniæ nomine. Earum præcipua eſt Selandunia, quæ in longitudinem ad 60 milliaria extenditur, latitudo eſt paulo minor: præſtat nobilitate, propter pagorum frequentiam, aëris clementiam, & Regis in ea habitationem. Is quoque Dominus eſt Gothlandiæ, quæ è regione Gothiæ ſita eſt, ejus cognatorum unus obtinet dominium Oſiliæ inſulæ mediocris, in magno Sinu Livoniæ, & in fertiles regiones in ipſo continenti Livoniæ. Regi Daniæ paret Scania, quæ è regione Cimbricæ Cherſoneſus eſt, extenditurque ab oppido Nihus Timalem uſq;. Ejus eſt magnum regnum Norvvegiæ, quod ſe à confiniis Scaniæ, Septentrionem verſus, ad arcem VVardhus extendit, cui adjacent Lappones, amplius quam per mille & 300 milliaria: Regis Daniæ ſunt quoq; inſulæ adjacentes inter quas, cum amplitudine, tum ubertate primas tenet Sania Scetlandicæ & Fariarum inſulæ, quæ in alto mari ſunt. Norvvegiæ populi fuere olim valde potentes, afflixerunt diu Angliam, divexarunt Franciam, obtinueruntque in ea dominium provinciæ, quæ adhuc Normannia dicitur; in Italia paraverunt ſibi regna Siciliæ & Apuliæ: bello ſacro autem obtinuit Boemundus Normannorum Princeps, Antiochiæ Principatum. In Oceano Septentrionali obtinet Rex Daniæ dominium dictarum Scetlandicarum & Fariarum, præterea Freslandiæ,

& oræ

& oræ maritimæ Islandiæ & Grunolandiæ. Orcades insulæ, quamvis Regi Scotiæ obediant, Reges Norvvegiæ pro dominis agnoverunt. Regnum Norvvegiæ cum electioni obnoxium factum esset, discordiis aliisque turbis exagitatum, pervenit ad Regem Daniæ, qui ut de eo securus sit, tractat dure incolas, spoliatq; eos facultatibus, nec miseris hominibus spes est melioris fortunæ, quod Rex omnes aditus & portus maris habeat. Divitiæ Regis Daniæ consistunt in copia pecudum & piscium maris; quorum tanta copia est, ut ex halecum captura ingens pecuniæ vis conficiatur. Tanta piscium omnis generis copia hic est, ut vix fretum navigari possit: circa id pascua aliaque loca pecori grata sunt. Scania frumento & pascuis dives est & incolis frequens. Norvvegia nullas alicujus momenti divitias habet, præter lignorum fabricandis domubus & navigiis aptorum, (quæ in Hollandiam & Flandriam evehuntur) pecudum, casei & lactis magnam copiam. Percipit quoque emolumentum ex pisce frigore indurato, quem Germani Stockfisch vocant: capitur mense Ianuario exponiturque vento, donec tanquam lignum induretur. Deinde in diversas regiones pro annona defertur. Id ergo, ex quo Rex Daniæ plus pecuniarum percipit, est fretum sive Porthmus inter Croneburgum & Etzenburgum vulgo der Sundt. Est is transitus tam angustus, ut nullum navigium, nisi cum excubitorum, quos Rex ibi habet venia præternavigare possit; necesse enim est, ut naves ibi magnum vectigal & portorium pendant. Ad magnam pecuniæ summam id vectigal accedere colligi potest ex multitudine navium Hollandiæ, Zelandiæ, Franciæ, Angliæ, Scotiæ, Norvvegiæ & Maris Balthici, quæ id mare sulcant, & angustas Porthmi fauces intrare coguntur. Populi hujus regni, vini Rhenensis, Francici, Hispanici, sacchari & specierum aromaticarum (quæ ex Portugallia deferuntur) & fructuum Andalusiæ tam sunt indigi, quam illi cupidi ceræ, mellis, pellium frumentique, quæ ex Prussia, Livonia, Moscovia regionibusque vicinis petuntur. Quid Princeps terræ possit, nondum videri potuit, quod alicujus momenti expeditionem non susceperit, nisi adversus Theutomarsos, quos Rex Valdemarus sibi obedire coegit, sed rebelles facti, post varias res (quæ ab Anno 1500 acciderunt) anno 58 subjugati sunt à Rege Daniæ Friderico II. Ante id tempus, Ioannem, Regis Christiani filium prælio superaverant. Quid Rex Daniæ mari possit, æstimari potest ex classibus, quas ali-

quot vicibus coegit. Christiernus II. rogatu Regis Franciæ Henrici II. misit in Scotiam contra Anglos, classem centum navium, in quibus decem millia militum erant. Cum tantum oræ maritimæ, totque portus in Dania, Scania, Norvvegia, totque insulas extra mare Balthicum possideat, verisimile est, ipsum magnum navium numerum colligere posse, si tamen pecuniæ non desint quibus ipsum non abundare existimo, cum quod suis in regnis nullæ magni precii res nascantur (exceptis maris piscibus) tum quod in iis nulla civitas mercimonio celebris sit, quæ commercia ad se trahere conservareque possit; nihil ergo supereſt quam vectigal freti, fructus aliquarum minærarum in Scania, equi, pecudes Cimbricæ Chersonesus, ligna, piscesque Norvvegiæ & insularum: observatum est, ex illis regionibus in Germaniam quinquaginta boum millia acta fuisse, qui vectigal Gottorpii pendunt. Aliquid etiam emolumenti percipit Daniæ Rex ex VVardhusia; nam Angli paucis ab hinc annis, inceperunt navigare inter Norvvegiam & Grunolandiam, alii ad Colmigras, alii Chilcheme, quod San. Nicolao vicinum est: cum Russis ibi commercia exercent, reportantque inde sevum, ceram, mel, linum: eo quoque navigant Bergenses, Scoti, Franci. In maris Sinus fere medio, est insula & oppidum VVardhus, quod Rex Daniæ Fridericus II. egregie muniri curavit, mercatores hic pendunt vectigal suarum mercium.

CAPVT IV.

DE

REGNO SVECIÆ.

REx Sveciæ dominatur in Scandia, quæ Dania amplior est: nam à finibus Scandiæ ad Lappiam usque, computatur iter 45. dierum. Ora autem Sinus Boddici plus minus 400 milliaria longa est, æstimaturque hæc terrarum pars, Italia & Francia major. Possidet hic Rex, in Livonia Revaliam, Narvam, Parnoviam, aliaque magnæ æstimationis loca: insulam Olandiam & Alandes, quæ vix sunt dignæ relatu, aliasque multas, sed parvæ considerationis in mari Sveciæ & Finlandiæ sitas. Dividuntur hæ regiones, relinquendo Livoniam, in tria regna Gothiæ, Sveciæ, Vandaliæ, quæ in

unde-

undecim Provincias, & duodecim Comitatus partita sunt, inter quos non comprehenduntur Lappi, quod hi populi (qui Provinciam Svecia majorem, sed pauperem miseramque inhabitant, & per sylvas vallesque vagantur) sub alicujus certo dominio esse dici non possunt: qui autem aliquo modo certas, fixasque sedes, aut domus habent, ut plurimum coronæ Sveciæ obediunt, penduntque pelles nobiles pro tributo. Trium regnorum, quæ diximus, Gothia contermina est Scaniæ, dividiturque in Orientalem & Occidentalem, terminanturque ambæ VVener lacu, in cujus medio est insula, in quam, propter ejus amœnitatem, se confert & manet sæpe Rex: lacum 24 fluvii influunt, ei unus tantum exitus est, eum incolæ, eorum lingua, propter excessivum strepitum vocant cespitionem diaboli. Gothiæ nomen, regionem divinam significat, id ei, propter annonæ copiam optime quadrat, nulla enim alia regio carne, piscibus, frumento abundantior est. Hic sunt Kalmar ad mare, Viburg, Suderkope, Norkope, Tilge, Ianocopia, Vasten, Birka, Linkope, Lodhus, Schennada, Malmoge, Verdenburg, Varne, Scara, Ledekopia, Timalen. Sequitur Svecia, quæ Norvvegia & Gothia simul major est. In Svecia est civitas Upsalia Metropolis, & Stocholmia, in qua residet Rex, Strinpa, Ennecopia, Orogrundia, Arboia, Arosia. Sequitur Finlandia, sita inter Sinum Boddicum, & Finnicum, ubi Abo Metropolis est, Rangina, & Ange ambæ mercimoniis celebres, Vames, Viburg & Castelhoim in Alandis insulis. Extra civitates habitant rustici, (qui hic commode vivunt) inter sylvas, in vallibus aliisque in locis, ubi à vento Septeutrionali tuti sunt, & ædificandi commoditas lignorumque copia invitat: habent suis in domibus greges pecudum, instrumentaque conficiendo quidquid ad victum amictumque necessarium est, apta: inde accidit ut civitates iis in regionibus nec frequentes nec magnæ sint, sicut in Germania & in Anglia. Numerantur ultra civitates & oppida, paræciæ 1433 in quarum aliquibus sunt mille rustici, vel, ut ipsi loquuntur, millæ familiæ aut foci, paucæque earum paræciarum sunt, in quibus non ad minimum centum familiæ sint: hinc de populi numero judicium fieri potest, maxime si fœcunditas populi consideretur. Mulieres enim Finlandiæ propter qualitatem cerevisiæ (ut aliqui putant) eximie fœcundæ æstimantur. Diu hic vivunt homines, maxime in locis Septentrioni expositis, nec mirum ipsis videtur, quod aliqui centesimum supra qua-

drageſimum aut trigeſimum attingant. Ea longævitas multum facit ad propagationem, ubi enim minus diu vivitur, ibi & generandi virtus citius deficit: hanc ob cauſam, Deus Dominus noſter, ut in mundi initio, propagationem humani generis faciliorem redderet, dabat hominibus ſeptingentos & amplius vitæ annos: itaque generatio quæ nunc propter vitæ noſtræ brevitatem, intra quadraginta annorum ſpacium ceſſat, extendebatur tunc ad plura centenaria annorum quam nunc ad decennaria. Hujus regni opes conſiſtunt in copia annonæ, qua ſummè abundat, id & Gothiæ nomen quod regionem divinam (ut diximus) & Finlandiæ, quod regionem bonam ſignificat, ſicut & nomen Finmarchiæ, indicat. Victus eorum, ſunt carnes, piſces recentes ſale conditi & fumo ſiccati, frumenta, cerevi-ſia: ea hic tanta copia ſunt, ut vix mendicus inter ipſos reperiatur, & hoſpites fere gratis hoſpitio excipiantur. Ex minæris Sveciæ eruuntur theſauri. Minærarum enim plumbi, æris, argenti, & aliquantulum auri adeo dives eſt, ut nulla Europæ regio illam ſuperare æſtimetur. Minæræ undiquaq, inveniuntur, quamvis ruſtici, quantum in ipſis eſt, eas occultent tegantque, quod teneantur ligna ad eas vehere, operasque præſtare. Argentum puriſſimum effoditur in Comitatu Veſtros, niſi incolæ induſtriæ exterorum adeo inviderent, ipſi majores divitias conſequi poſſent; non enim parcere ligno, nec fumos minærarum ad colores parandos colligere norunt: nec ipſis gratum eſt, quod venæ minærarum detegantur. Quod exteros averſantur, non ex odio, quo eos proſequantur oritur, ſed à ſuſpicione, ne ab iis ludificentur, aut male habeantur; ſunt enim ipſi moribus ſimplices ſinceríque: ambitione non flagrant, nec ſtimulantur ab avaritia. Regis reditus conſiſtunt in quatuor rebus, in fructibus beneficiorum eccleſiaſticorum, in minæris, in tributis, in vectigalibus. Fructus beneficiorum accedunt ad bonam pecuniæ ſummam. In his regnis erant ultra ſeptem Eccleſiæ cathredrales, ſexaginta monaſteria, partim virorum, partim mulierum, quæ ampliſſimis reditibus dotata erant, ſed miniſtri hæreſeos, qui loco paupertatis in Evangelio prædicatæ, ad ſuam ſectam protrahunt Principes, eis monſtrando bona reditusque Eccleſiaſticos, induxerunt primo Guſtavum, deinde ejus filium Ericum, ut altaria ornatu, Eccleſias maxima redituum parte ſpoliarent. Minærarum aliquæ effodiuntur expenſis Regis, aliquæ privatarum perſonarum, illarum

quid-

quid effoditur, habet: harum consequitur partem decimam. Trium æris fodinarum decima pars, quæ Regis est, accedit ad summam triginta millium thalerorum quotannis, inde judicium de argento & plumbo fieri potest. Sed plus quam omnia alia reddunt tributa; percipit enim decimas siliginis, frumenti, hordei, piscium, boum, pellium, rerumque similium: aliquando ex decima boum, eorum 18 millia habuit, iis alit aulam, officiarios, classem exercitumque; suppeditat enim victum militibus, cum bellum est, geritque id minima impensa, tam offendendo, quam defendendo, cum Dano & Mosco. Consequitur enim à populo sine magna difficultate, magnas contributiones commeatus. Populus filias Regis maritis collocat, datque in dotem centum thalerorum millia, ultra vasa argentea, aliaque. A rusticis aliisque, qui tributum annonarium non pendunt, solet Rex, secundum facultates bonorum, quotannis quinque aut plures thaleros viritim exigere. Portoria penduntur in Portubus, eorum præcipui sunt Calmariæ, Lodhusii, Stocholmiæ (ubi aliquando 300 & plures naves onerariæ visuntur) Ranginæ, Abo, Ange, Revaliæ, Parnoviæ, Narvæ. AEstimatur Regem quotannis ad sexcenta aut septingenta Dalerorum millia in thesauros recondere, ultra expensas quas facit in arces Revaliæ & Viburgi, quæ accedunt ad centum thalerorum millia quotannis. Numerantur in Svecia & Gothia circiter 32 turmæ, quarum unaquæq; est quingentorum aut sexcentorum militum, sclopetos humeris gestantium; ii quo occasio vocat, eunt, raro hastis aut lanceis utuntur, propter sylvarum frequentiam. Equitatus etiam sclopetis meret. Peditatus optimus censetur, quod unusquisque miles, ea quibus opus habet conficit ad capsulam sclopeti usque, quod indicat ipsos facile contentos esse. Vulgus in Perusia & regionibus vicinis, quod parvo contenti sunt, faciebat, facitque adhuc, quidquid domui, suisque personis opus est: unusquisque fabricare, texere, vestes consuere, seminare, messem colligere, omniaque necessaria instrumenta conficere novit. Ad res quæ non adeo communes, nec necessariæ sunt, sicut ad pingendum, aurum argentumque elaborandum & similia, reperiuntur inter indigenas proprii artifices, nulla re præterquam materia opus habent. Equitatus Svecicus in 13. turmas dividitur: Svecia & Gothia earum undecim, Finlandia duas suppeditat, necessitate autem urgente, possent multo plures colligi; solus enim Ducatus Vermelan-

diæ, poteſt (ſicut aliqui dicunt) plus quam decem virorum millibus equos ſubminiſtrare. In Marchia eſt tanta equorum copia, ut fere nihilo venundentur: ambæ hæ Provinciæ, ſunt in Gothia. Ipſarum equi cedunt Friſiis magnitudine, ſed maxime ſtrenui, fortes, robuſtique ſunt, labori aſſueti, facileque paſcuntur. Nolo ſilentio præterire, duas res præclaras, quas Rex Sveciæ in militum commodum facit: una eſt, quod ſi miles ab hoſte capiatur, redimit eum Rex; altera, quod ſi militis equus occidatur, Rex ei alium confert. Rex dat quotannis, Capitaneis, & iis, qui equis merent, in ſolutionem partis ſtipendii veſtem: olim apud Romanos id in uſu erat, qui militibus ſagas dabant. Quod ad res maritimas attinet, regna hæc, propter oræ maritimæ longitudinem & portus, abundant nautis navigiisque, quibus Rex uti poteſt, ſicut alii Principes in ſuis Dominiis. Habet ordinarie 50 naves bellicas, quarum unaquæque 40 tormentis, pluribus aut paucioribus inſtructa eſt. Rex Guſtavus inſtituit etiam triremium uſum. In bello quod Rex Ioannes cum Rege Daniæ geſſit, antequam pax (quæ Stetini tractabatur) confecta eſſet, habuit 70 navigia magna, ultra alia minora, in quibus erant duo deviginti hominum millia. AEſtate mari, hyeme terra belligerant: tunc glacie concreti ſunt lacus; mare quoque per magnam longitudinem, ſecundum littus congelatur. Cum autem de tormentis aliquid dixerim, hoc adjungam: æſtimatur Regem Sveciæ habere, circiter octo tormentorum bellicorum millia, quorum maxima pars ex ære conflata eſt, ipſumque multo plura conficere poſſe, ſi major ſtanni copia ſuppeteret. In ſola arce Stocholmenſi numerantur 400 tormenta bellica. Ad Occaſum conterminus eſt Rex Sveciæ, Dano, Moſco ad Ortum cum quibus ei longa bella fuere. A Danis multum damni paſſi ſunt Sveci; obſedit enim Rex Chriſtiernus II Stocholmiam, coegitque eam ad deditionum: exercuit in incolas inauditam crudelitatem, implevitque civitatem ſanguine & cadaveribus. Odiorum cauſæ ſunt jus, quod Danus in Sveciam ſibi competere putat: oportunitatem eam, ad libitum divexandi ei tribuunt ſitus regionis, portusque, præcipue Gothlandia quæ Gothiæ membrum eſt: ideoque contendunt Sveci eam ſui juris eſſe, actionemque in eam habent. Poſtquam Guſtavus regnum recuperavit, ipſe ejusque filii Ericus & Ioannes ſucceſſive id rexerunt. Quamvis autem ſatis multum ſanguinis in bellis inter Guſtavum & Danum effu-

effuſum ſit, regno Sveciæ tamen ſuus honos manſit, civitasq; Lubecenſis (eo in mari potentiſſima) dum ſe modo huic, modo illi jungit, ita temperat æquatque ſuo pondere, illorum duorum Regum vires, ut alterum illorum excreſcere non ſinat, ob periculum quod eo caſu ſibi impendere videt. Svecus cum Moſco belligerando primas habet, quod Finlandia (quæ Ruſſiæ contermina eſt) ob lacuum & paludum frequentiam, aditus difficiles, periculoque plenos habet, acciditque plus quam ſemel, ut hoſtium exercitus, in illis glacie concretis aquis, ſubmerſi ſint periérintque. Svecus habet maximam ſuarum claſſium partem hyeme eo in mari, in quo (ſicut ante dictum eſt) tunc bellum geritur, ſicut mari æſtivo tempore. Habet arcem Viburgum, quam optime inſtructam, & in finibus Magni Ducis Moſcorum Narvam, Revaliam aliaque loca & arces, quibus tanquam frenis ipſum conſtringit. Vt dicam quod verum eſt: illæ munitiones utiliſſimæ habendæ ſunt, quæ in hoſtium ſolo jacent, faciunt enim duos effectus, defendunt quod tuum eſt, & infeſtant hoſtium ditiones; ſuum tanto melius defendunt, quanto ab eo longius diſtant, dum enim hoſtis ſe circum ea torquet, ſunt tua tranquilla, potesque extra ſtrepitum, damnumque tuorum populorum redituumque, ea procurare, quæ ad liberanda ea conſervandaque pertinent: hoſtem tanto majori cum damno vexant, quanto ei vicinores ſunt: hujus generis erat Caletum, dum in poteſtate Anglorum eſſet. Talia quoque ſunt loca, quæ Luſitani & Caſtellani habent in Africa. Sed caſtra in tua ditione exſtructa, non alii ſerviunt, quam quod tua defendant, ſed cum magno tuo incommodo; quotiescunq; enim invaduntur, neceſſe eſt tuos populos damna graviſſima pati, tuum regnum exagitari turbis, ſtrepituque involvi, ejusque partem hoſti prædæ cedere. Sed ut ad Regem Sveciæ revertar, tantum is in defendendis ſuis ditionibus Moſco potior eſt, quantum vires maritimæ terreſtribus conjunctæ prævalent adverſus Principem terreſtribus tantum viribus inſtructum.

CAPVT

CAPVT V.

DE
REGNO POLONIÆ.

POloniæ regnum nunquam tam amplum fuit quam nunc eſt, quod Magnus Ducatus Lithvaniæ & Livonia ei adjuncta ſint. Extendit ſe à flumine Notes & Obra, (quæ id à Marchia dividunt) & fluvio Odera (qui ipſum à Sileſia diſtinguit) ad Bereſaiam & Boriſthenem uſque, qui ipſum à Moſcovia ſeparant, à mari Balthico, ad flumen Nieſter, quod id à Moldavia diſtinguit & ad montes Carpathios, qui ipſum ab Hungaria ſeparant uſque. Occupat itaque à finibus Sileſiæ, ad terminos Moſcoviæ uſque, inter Occaſum & Ortum 120 Milliaria Germanica: nec minus ab ultima Livoniæ parte, ad fines Hungariæ uſque. Cum itaque talis ſit ejus forma, ut cum rotunditate participet, multo capacius eſt, quam quisquam credere poſſet. Multas amplaſque Provincias continet, nempe: Poloniam majorem & minorem, Mazoviam, Prusſiam, Rusſiam, Volhiniam, Livoniam, Lithuaniam. Inter eas Provincias, Polonia, à Polonis inhabitata inventa fuit. Prusſia, cum parte Pomeraniæ Podolia, Volhinia, Mazovia, Livonia armis acquiſitæ ſunt. Lithvania, cujus erat Samotgithia, & Rusſiæ pars, patrimoniales familiæ Iagellonicæ fuerunt. Anno enim 1380 Iagello tunc dux Lithvaniæ duxit in uxorem Hedvigim Principem, quæ familiæ Regalis Poloniæ ultima erat, factusque fuit Rex tribus conditionibus: una fuit, ut Chriſtianus fieret, altera, ut ſuos ad idem faciendum induceret, tertia ut ſuam ditionem Poloniæ uniret: ea conditio noſtris temporibus (cum familia Iagellonica defeciſſet) adimpleta fuit. Cum enim Reges, ſe ditione hæreditaria, cujus merum habebant imperium, privare nollent, eamque electioni ſubmittere, diſtulerunt ſemper adimpletionem conventionis, allegantes Proceres & populum Lithvaniæ id non paſſuros, ne illa admiſtione amitterent gradum & dignitatem. Tandem tamen Lithvani cum ab una parte viderent deficere ſtirpem ſuorum Principum (quæ quod ad maſculos attinet, defecit in Rege Sigiſmundo Auguſto) & ab altera parte ſibi metuentes à potentia Moſcorum, conſentierunt ut unirentur. Livonia fuit quondam equitum Teutonicorum, qui in ea ſuum præfectum ſpecia-

lem

lem, qui Magnus Magiſter dicebatur, habebant: ſed cùm Anno 1558 à Magno Moſcorum Duce maxima ditionis parte ſpoliati eſſent, confugerunt ad Sigismundum Regem Poloniæ, qui eos in ſuam tutelam ſuſcepit, ſed Livonia ante liberata non fuit, quam cum Anno 1582 Rex Stephanus id fecit. Regni Poloniæ pars maxima plana eſt; exceptis enim aliquibus montibus, qui in minori Polonia viſuntur, & aliquibus potius collibus quam montibus, quibus à Pruſſia diſtinguitur, omne reliquum explicat ſe in latisſimos campos. Verum quidem eſt, quod in eo regno ſatis multæ ſylvæ ſunt, præcipue in Lithuania, quæ iis occupatur. Minor & major Polonia frequentius inhabitantur, quam ulla alia hujus regni Provincia. Idem dicendum fere eſt de Ruſsia, Pruſsia & Livonia, quæ propter opurtunitatem maris, portuum, & fluminum ibi concurrentium aliis provinciis, civitatibus & fabricis ornatiores, commerciis quoque & concurſu mercatorum ditiores ſunt; cum enim ibi diu dominati ſint equites Teutonici, ædificarunt civitates in morem Germanorum; arces quoque & loca præclara, quæ ſe extendunt ſecundum littus maris, amplius quam per octingenta milliaria, habent multos & oportunos portus, dominanturque omni mercaturæ, inter Poloniam & mare Balthicum. Eſt ea res magnæ conſequentiæ; fluvius enim Viſtula, qui ortum habet in extremitate Sileſiæ, transfluit totam Poloniam minorem, & partem majoris, Mazoviam, & Pruſſiam, conditque ſe mari Balthico, infra Gedanum, quo conducit per plusquam quadringenta milliaria navigationis, (quo ſpacio recipit diverſos alios fluvios) bonam partem ſiliginis, frugum, mellis & ceræ. Ab alia parte Duina flumen nobiliſsimum, (quod oritur ex lacu Ruthenigo auctum aquis, findensque mediam Livoniam) condit ſe mari ſub Riga, ad quam urbem magnus concurſus eſt. Sunt præterea in Pruſsia & Livonia multi lacus, inter quos unus eſt, qui mare novum dicitur, quia antiquus non eſt, ad centum milliaria in longitudinem ſe extendens. In Livonia eſt lacus Peibas, plus quam 40 milliaria longus. Ex eo flumina, quæ Pernoviam urbem ad mare, & Narvam alluunt, fluunt, faciuntque duos portus ſatis celebres. Inter dictas civitates ſita eſt Revalia urbs, quæ duabus ſupra dictis civitatibus non cedit. Samogithia aliis provinciis incultior eſt, retinetque plus barbariei: Podolia aliis magis deſerta eſt, non terræ vitio, (copioſisſima enim eſt omnium rerum, quas fert clima, cui

ſubjacet) ſed culpa Tartarorum, qui eam ſuis excurſionibus adeo infeſtant, ut præ ipſorum metu, aut fugiant incolæ, aut abducantur in captivitatem à Tartaris. Poloniæ opes conſiſtunt in copia frumenti, frugumque omnis generis, quibus tanta copia abundat, ut anno elapſo, qui fuit 1590 & anno præſenti, partim ſubvenerit neceſſitati Genuenſium, Thuſciæ & Romæ (non ſolum gentium, quæ viciniores erant) ubi fame, non caritate extrema tantum laborabatur. Abundat quoque Polonia melle & cera infinita; cum enim omnes hæ Provinciæ Septentrionales Polonia, Lithuania, Ruſſia, Muſcovia, à natura vino donatæ non ſint, ejus loco contulit illis mellis quantitatem incredibilem, ex quo hi populi conficiunt inter alia potionem delicatam & ſanam. Apes mellificant partim in ſylvis, ubi arbores aut carie, aut hominum induſtria excavatas reperiunt, aut in alveariis, quæ ruſtici in campis poſuerunt, aut in terræ puteolis, omnique in loco, ubi vel minimam oportunitatem reperiunt. Abundat quoque Polonia lino & cannabe, gregibus & armentis, equis quoque bonis & multis, ſylveſtres equi quoque ſatis frequentes ſunt. Inter ſylveſtria ſanimalia eſt Biſons, magna Beſtia, equi indomiti, boves colore nigri, qui extra ſylvam, quæ in Nazovia eſt, non vivunt. Theſauri regni conſiſtunt in ſalinis Bacænæ & Teliſciæ, quæ loca in territorio Cracovienſi ſunt. Divitiæ Poloniæ ut plurimum inter dominos & nobiles, ſatis bene diviſæ ſunt: nemo enim ex patrimonio adeo dives eſt, ut alios præter modum ſuperet, nec maximi reditus excedunt 25 aureorum millia. Soli Duces Curlandiæ & Regii Montis excedunt mediocritatem; quamvis enim hi tanquam regni feudatarii Regem in ſuperiorem agnoſcant, non ſunt tamen viva membra regni, non veniunt ad comitia regni, non habent ſuffragia in electione Regis, nec partem in regni gubernatione, nec pro dominis naturalibus habentur, ſed pro extraneis, ſicut vere ſunt Dux Curlandiæ nempe ex familia Ketlerorum; Dux Regii Montis autem, ex familia Brandeburgica. Omnis Pruſſia fuit olim Equitum Teutonicorum, qui ibi habebant (ſicut ante diximus) Magnum Magiſtrum ſpecialem. Qui cum viribus Polonorum reſiſtere non poſſet, ſubmiſit ſe tanquam feudatarius Regi Caſimiro. Cum deinde Magnus Magiſter Albertus Brandeburgicus, Lutheraniſmum amplexus eſſet, factus eſt ex magno Magiſtro Dux Pruſſiæ, quæ tunc in duas partes fuit diviſa: in regi-

am

am nempe, quæ immediate ſub corona permanſit, & ducalem, quæ tanquam feudum Alberto & ejus ſucceſſoribus relicta eſt. In regia parte ſunt Marieburgum, Toronia, Culma, Varmia, Gedanum: Ducalis partis (quæ reddit 120 aureorum millia annui reditus) caput eſt regius mons civitas, quam Germani appellant Königsberg/ubi Dux aulam habet. Poloniæ regimen potius reipublicæ, quam regni eſt, quod nobiles (qui magnam autoritatem in Comitiis regni obtinent) Regem eligunt, dantque illi autoritatem, quam volunt, ut tamen ipſorum poteſtas major ſit. De electione Regis non habent legem, nec ſtatutum aliquod, non regulam certam aut formam ſcriptam nec traditam. Tantum hoc ſcitur, apud Archiepiſcopum Geſnenſem, Interregni tempore, ſupremam autoritatem eſſe: ipſe denunciat Dietas, præſidet in Senatu, proclamat novum Regem, ſicut quod, cum Archiepiſcopo Leopolis, & ſuis Suffraganeis qui tredecim: Palatinis qui 28 Caſtellanis majoribus, qui 30. numero erant antequam Rex Stephanus inſtituiſſet novos Epiſcopos, Palatinos & Caſtellanos in Livonia, quam ipſe acquiſiverat, pauci alii inter ſunt Regis electioni. Habent ibi quoque quandam autoritatem Nuncii Terreſtres (ita appellant quosdam quaſi Agentes Circulorum nobilitatis, qui in Provinciis habentur) Comitiorum tempore conveniunt hi, in loco Senatui vicino, eligunt ibi duos Mareſcallos, per quos ſignificant Senatui, quid deſiderent, ſed cum autoritate fere Tribunitia: crevit enim parvo abhinc tempore eorum autoritas exiſtimatioque in tantum, ut authores, & capita potius, quam miniſtri, & participes deliberationum publicarum regni ſint, fuitque unus, qui exemplo Clodii, renunciavit dignitati Senatoriæ, ut fieret Nuncius. Hi omnes ſimul, cum novus Rex eligendus eſt, reſtringunt magis magiſque potentiam Regis, nec eam nimis excreſcere ſinunt. Quamvis autem corona Poloniæ, à decreto nobilitatis dependet, non tamen legitur ipſos unquam ſucceſſores regios excluſiſſe, aut præteriiſſe, nec regnum in aliam familiam tranſtuliſſe, excepta una vice, cum Ladislaum deponentes (qui tamen poſtea fuit reſtitutus) elegerunt VVenceslaum Bohemum. Filiarum Regum quoque ſemper ratio habita eſt, ſicut olim Hedvigis, quæ Iagelloni ab ipſis collocata fuit, & noſtra ætate Annæ, quæ Regi Stephano in uxorem data. Sigiſmundo III non parum profuit natum fuiſſe Catharina, Sigiſmundi Auguſti, & Annæ ſorore, ut coro-

nam Poloniæ adipiſceretur. Etſi autem Regis autoritas ita ab electione dependeat: ejus autoritas tamen, cum electus eſt, in multis rebus abſoluta eſt. Ipſius muneris eſt convocare dietas, aſsignare tempus,& locum ut ipſi placet. Eligit conſiliarios laicos, nominatque Epiſcopos, qui deinde manent Conſiliarii. Eſt abſolute patronus redituum coronæ,& dominus eorum,qui ei immediate ſubſunt. In nobilium ſubditos ei nullum eſt jus.Eſt abſolutus executor decretorum in Dietis factorum, eſt ſupremus Iudex nobilium in cauſis criminalibus. Habet in manu omnes modos remunerandi beneficioque afficiendi, quos ipſi placet. Vt finem faciam, tantum poteſt Rex,quantum ipſe dexteritate & prudentia valet: propter rationes ſupra dictas vivunt nobiles in Polonia in magna libertate, faciuntque quod ipſis placet. Decreta Regis (ſicut ipſimet dicunt) non durant plus quam tres dies: verſántur cum Rege, non tantum tanquam cognati (quod faciunt Franci) ſed ut fratres. Sicut Rex cum plenaria authoritate, eos qui immediate ſubſunt, regit; ita & nobiles diſponunt independenter de ſuis vaſallis, in quos ipſorum unicuique imperium plus quam regium eſt, habentque ipſos fere pro mancipiis. Stabiliendo ſuo Imperio, fecerunt Poloniæ Reges, rem notatu admodum dignam; ſicut enim Romani ſuas vires amplitudinemque auxerunt,communicando Ius Latii, & civitatis Romanæ, aliis civitatibus, immo integris Provinciis: ita & Reges Poloniæ extenderunt, unierunt, firmaruntque ſuum Statum,participes faciendo privilegiorum nobilitati Polonicæ propriorum,Provincias armis aut alia via acquiſitas, ipſarumque nobilitatem, Polonicæ nobilitati æqualem faciendo. Rex Ladislaus, hoc modo aggregavit immo univit Poloniæ Ruſſiam & Podoliam, Sigiſmundus Auguſtus Lithvaniam, Stephanus Livoniam; æqualitas enim in commoditatibus, & honore, reddit animos unitos in neceſsitatibus & periculis. Hujus regni vires,ſicut & aliorum conſiſtunt in commeatu, pecuniis, peditatu, equitatu, armis & munitionibus. De commeatu diximus ſupra: pecuniis quidem non admodum dives eſt; excipiendo enim portum Gedanenſem non habet emporium alicujus exiſtimationis. Merces autem, quæ ex portubus Pruſſiæ & Livoniæ evehuntur, non ditant regnum pecunia, imo vix pannis ex ſeryco & lana, qui ex Flandria & Anglia: vino, ſaccharo, aromatibus, fructibus, quæ ex Hiſpania, & Luſitania advehuntur, ſufficiunt.

unt. Eo usque ab alia parte quoque defertur vinum Malvaticum sive Creticum, cujus dolium 70 aureis venit. Cum denique regnum mercaturæ addictum non sit, nec civitates mercimoniis deditæ sint, nec populi industria polleant: nobilitas autem magnanima sit, profusa in expendendo, quæque in victu & vestitu plus quam in reditu habet, consumat, cumque condimenta ciborum (aromatum Poloni plus absumunt quam ulla natio) vinum, panni è serico, & potissima pars lanearum ipsis ab extraneis adferantur, fieri non potest, ut regnum auro & argento dives sit. Opes enim unius cujusque regni consistunt in eo, ut multæ merces inde evehantur, paucæ inferantur: ut exeuntia pecunias externas eo trahant, illata non efferant. Ea in re consistunt opes regni Neapolitani & Ducatus Mediolanensis: illud emittit maximam frugum, vini, olei, serici, croci, aquorum, fructuum, & aliarum rerum quantitatem, quæ maximam externarum pecuniarum vim eo pertrahunt: hæc suppeditat multis regionibus frumenta, oryzam, pannos, ferramenta & merces omnis generis, recepitque parum rerum. Si regnum Neapolitanum & Regnum Siciliæ, ita abundarent operis artificiose factis, sicut fructibus & bonis, quæ natura largitur, divites sunt, nulla alia regna eis possent comparari. Sed ut ad Poloniam revertamur ejus reditus non sunt adeo tenues sicut aliqui existimant. Reditus enim regni, qui ex minæris salis, & argenti percipiuntur accedunt ad sexcenta aureorum millia quotannis. Verum quidem est, Sigismundum Augustum redituum partem oppignorasse; Rex quoque Henricus, uno ante fugam mense, ut sibi unam nobilitatis partem obligaret, ex reditibus plus quam pro trecentis aureorum millibus quoquo anno alienavit. Rex quoque potest, applicando coronæ bona caduca, quæ Reges privatis personis concedere solent, sibi magnos reditus parare. Dictorum redituum magnam partem potest Rex sibi servare parcereque sumptibus. Eos enim faciunt Lithuani, quando Rex cum aula in Lithvania dedit, idem quoque fit in maxima Poloniæ parte. Hoc parvi non faciet is, qui perpendet Scotiæ, Navarræ, Sardiniæ regnorum reditus, non excedere centum aureorum millia quotannis nec regna Aragoniæ, quoquo triennio plus quam 100 millia aureorum pendere. Reditus Regis Angliæ, antequam usurpavit bona ecclesiasticorum, non excedebant sexcenta aureorum millia quotannis. Rex Poloniæ multo plus redituum habe-

haberet, si erga suos Palatinos & Castellanos tanta liberalitate non uteretur. Concedit enim eis ut plurimum duas partes tertias,& fere semper omnes reditus, quos in ipsorum gubernationibus habet. Sed in necessitatibus bellicis & arduis expeditionibus (facto decreto in Comitiis regni) gravat Rex populum magnis impositionibus, aut tributis, quæ ex territoriis percipiuntur, aut ex vectigali cerevisiæ, ascenduntque ea tributa ad talem pecuniarum summam,ut ea Rex Stephanus sustinuerit onera graviſſimi triennalis belli, quod cũ Magno Moscorum duce gessit. Sed illud maximum est, quod nobiles propriis expensis, pro defensione regni, Regi inservire obligati sunt. Serviunt hi equis, armis instructi partim sicut nostri cataphracti equites, partim aliquanto levioribus, partim sicut Tartari; dicuntur hi Cosacchi, horum ars est furari, de populari, omnia vastare pessundareque. Eunt in bella pompose ornati sagis & vestibus, quæ auro, argento, milleque variis coloribus discriminantur. Ornant se quoque pennis & alis aquilarum, exuviis leopardorum & ursorum, vexillis labarisque multis variisque. Hæc aliaque ornamenta ipsos suis visendos hostibus terribiles faciunt suosque animos ad feritatem ferociamque incitare possunt. Ipsorum equi mediocres sunt, sed agiles,& Germanicis longe animosiores. AEstimatur Poloniam necessitate exigente centum, Lithvaniam 70 equitum millia colligere posse, sed tantum circiter centum equitum millia, educi posse existimant aliqui. Verum quidem est, quod equi Lithuanici Polonicis longe inferiores sunt. Fidunt Poloni tantum magno numero sui equitatus, ut non verentes ullius hostis vires parum de munitionibus extruendis solliciti sint, suumque exercitum in locis agrestis, adversus hostes, pro patria, liberis, libertate, omnibusque suis bonis, magno animo pugnaturum credunt. Hostibus se nunquam, etiam in quacunque fortuna, terga obvertere profitentur. Sigismundus Augustus tentavit, ut in Comitiis regni de liberaretur de munienda Cracovia, propter Cæsaris vicinitatem, sed Polonis id persvadere nunquam potuit, tum quod nolint Regibus medio præsidiorum commoditatem dare, invadendi merum Imperium & absolutam dominationem: tum quod dicunt, sua pectora defendendo regno sufficere. Pedestrem militiam non habent, quod omnis regni populus divisus sit in mercatores, & artifices (qui oppida incolunt) rusticos, & villicos, qui ruri in tali subjectione (sicut dictum est) degunt

degunt. Sunt itaque arma in manibus nobilium tantum, qui pedibus non militant. In neceſſitate peditibus Germanicis & Hungaricis uſi ſunt, habuitque Rex Stephanus, in expeditione Livonica, ſub ſignis, plus minus 16 peditum Germanorum & Hungarorum millia. Ducendis tormentis bellicis, cuniculariorum & foſſorum loco utuntur Tartaris & ſuis ruſticis. Quod ad tormenta bellica, eorumque apparatum ſpectat, regnum iis ſatis inſtructum eſt: tum quod nobiles ſatis illorum in ſuis arcibus habeant; tum quod illorum indigentiam pati non poſſit, ob Germaniæ vicinitatem, quæ metallorum ferax eſt, habetque multos magiſtros fundendi tractandique tormenta, atque omne, quod ad uſum armorum facit. Tanto quoque tormentis inſtructior eſt Rex Poloniæ, quanto minorem arcium numerum habet. Sunt tamen non parvæ conſiderationis arces Leopòlis, & Camnetòy in Ruſſia, Arx Cracovienſis in minori Polonia, Poloſcenſis in finibus Moſcoviæ, Mariemburgi & aliquorum oppidorum in Pruſſia, & in Livonia, quæ oppida non à Polonis, ſed ab Equitibus Teutonicis (qui earum domini erant) munita ſunt. Poloniæ vires, quas commemoravimus, ſunt & numero & natura tales, ut pauca Europæ regna eas æquent, non ſuperent. Vna res eis deeſt, nempe agilitas: ſed ad firmitatem cujuscumque ſtatus quatuor res requiruntur, nempe ut vires ſibi propriæ, numeroſæ, validæ, & agiles ſint: Propriæ, quia ægre ei credi poteſt, quod alterius eſt: Numeroſæ, ut in rebus adverſis, & incommodis, ſemper aliquæ ſuperſint: Validæ, quia numerus, abſque fortitudine parum juvat, immo potius moleſtiam, quam auxilium adfert: Agiles ut facile colligi poſſint, impellique quo exigit neceſſitas. Polonis deeſt dictarum quatuor qualitatum ultima, agilitas nempe, quæ à rebus duabus dependet; una eſt Principis autoritas; altera, prompta pecunia. Rex poteſtatem non habet in Polonia aliquid decernendi, bellum indicendi, onera ad conflandum pecuniam imponendi, abſque conſenſu Comitiorum. Sed Comitia & conſultationes, quibus multos intereſſe opus eſt, ſimiles ſunt machinis ex pluribus partibus multisque inſtrumentis conſtantibus, quæ progreſſum alicujus momenti, non niſi longo tempore faciunt. Sed in rebus bellicis ſunt ii Principes expeditiſſimi, qui ſoli imperare poſſunt: qui pecunias in promptu habent; alioquin in indicendis diſponendisque Comitiis, ut decreta propoſitioni reſpondeant, de-

inde

inde exequendo, colligendoque pecunias, tanti temporis jactura fit, ut ad expedicionem parum superſit, fugiatque occaſio. Barones & nobiles Poloni tam magnos ſumptus faciunt inviſendo Comitia hærentes degentesque in iis, ut ad bellum vires non ſuperſint. Fieri poſſet ut ad defenſionem ſtatus promptior expeditiorque reſolutio inveniretur; quod imminens periculum omnibus pavorem incutiat: ſed ad aliquid acquirendum credo ibi futuram magnam tarditatem; ſpes enim boni non adeo afficit, quam timor mali. Vidimus tamen Moſcum abſtuliſſe Sigiſmundo Auguſto Statum Poloſcenſem & Smoloczenſem, nec hic tamen præſentiit, aut vindicavit, ſicut tanto Regi regnoque conveniebat. Idem Moſcus abſque obſtaculo invaſit Livoniam, quæ ſe ſub umbra, & protectione Sigiſmundi Auguſti contulerat. Tempore quoque Henrici Andegavenſis Regis Poloniæ, Ioannes Moldaviæ Princeps (qui magno animo & claris victoriis, per aliquod tempus bella adverſus Turcas geſſit) à Polonis præter pacta fœderis, inter ipſum & Sigiſmundum Auguſtum, deſertus fuit. Dicamus tamen vires Poloniæ, per ſe numeroſas independentes & validas, tantum agilitatis & promptitudinis habituras, quantum in Rege valoris, roboris & efficaciæ erit. Ejus rei fidem fecit Stephanus Bathoreus, cujus tempore Polonia non ſolum conſervavit ſibi nomen & exiſtimationem regni, quod ſe à viribus extraneis defendere queat: ſed quod etiam magni momenti acquiſitiones de potentibus hoſtibus facere valeat. Cum autem dixerimus de agilitate, quæ res viribus cujuscumque ſtatus neceſſaria eſt, non præter inſtitutum erit, cauſas ipſius agilitatis adjungere. Præcipuæ ſunt (ſicut diximus) autoritas Principis, qui motum dat, & vis pecuniæ, quæ ipſum conſervat; vidimus enim potentiſſimos exercitus propter tarditatem torporemque capitis, tempus inutiliter triviſſe & præclariſſimas victorias, nullum fructum peperiſſe aut feciſſe propter pecuniarum penuriam, ſine qua moveri non potuere milites. Multum quoque ad rem facit militum qualitas; negari enim non poteſt, peditem Germanum & Bohemum ab agilitate laudari non poſſe, quæ laus abſque dubio, Italo, Hiſpano & Franco debetur, non ob id ſolùm, quod corpore melius conſtituti ſint, ſed quod plus eſt, quod in bello minori contenti ſint. Quamvis enim vinum non habeant, non pavent: nec cadunt animis, ſi carnes deſunt; &

quo-

quomodocunque cedat, ferunt diutius inopiam & incommoditates. Levis equitatus magis agilis est, quam cataphracti, & tractatio sclopetorum, quam lancearum. Id considerantes Franci, ultimis bellis lancearum usum, in quibus ipsorum militaris gloria consistebat, reliquerunt, utunturque earum vice sclopetis, sicut equites Germani ense. Sed quo judicio id fecerint excutiet alius. Hic non dico, equitem levioris armaturæ in rebus bellicis absolute catabracto esse meliorem, id dico, quod expeditior promptiorque sit. Multum quoque facit genus equorum: Flandrici multum superant Frisicos & Germanicos: nec minus præstant Hungarici Polonicis, Asturco Turcicus, Barbaricus prædictis sunt velociores, inter utrosque sunt equi Neapolitani, qui vernacule Corsieri appellantur; quamvis enim Asturconi velocitate pares non sunt, perdurant in labore, feruntque melius pondus armorum, nec tardi sunt. Vt quod verum est dicatur: experientia docet equitatum Germanicum propter eorum tarditatem aptum non esse ad insequendum fugientes, nec ad effugiendum hostes. Si enim Valacchici, Hungarici, Polonici, Turcici, Mauri, Barbarici equites, Germanicos fuderint, non possunt effugere, si illi autem rupti sunt, non possunt equi Germanici illos consequi. Falcorum enim instar aggrediuntur hostes ruisusque avolant longissimè. In expeditionibus maritimis agilitate parum valent naves, destitutæ enim vento moveri non possunt neq; verti: aliquantulum, sed parum amplius faciunt magnæ actuariæ naves, sed velocitate præstant maxime triremes, quas Galeres vocant. Vidimus itaque classes Christianorum, quorum vires in navibus sitæ sunt, bonam æstatis partem, temporisque expeditioni commodi in progrediendo trivisse: Turcicas autem classes, cito institutum cursum effeciisse. Nulla autem res Turcis in sua agilitate plus commodi contra nos adfert, quam ipsorum parsimonia, & nostra ingluvies; vinum enim, similesque delitiæ sunt nostris exercitibus tanto impedimento, quanto Turcis commeatus simul. Mirum itaque non est, quod ipsi in expeditiones eant, quam optime instructi tormentis, globis, pulvere sulphureo, & omni commeatu: iis enim rebus currus terra, triremes mari onerant non vino, pullis, similibusque non necessariis rebus: eunt denique in bella, ut pugnent; non ut crapulæ indulgeant.

CAPVT VI.
DE
MAGNO DUCE MOSCORUM.

MAgnus Dux Moſcorum eſt dominus amplisſimæ regionis, inter cujus fines comprehenduntur multæ ditiones. Septentriones verſus pertingit ejus ditio ad Oceanum Septentrionalem, protenditurque à Sinu Graduico ad Obii fluvium: à Meridie continuatur ejus imperium ſecundum curſum fluvii Volgæ ad marc Caſpium uſque: ad Occaſum attingit fines Livoniæ, habetque fere pro termino Boriſthenem, ſicut ab Ortu Volgam. Dicunt aliqui totum hoc imperium in longitudinem protendi ad tria milliarium millia, in latitudinem ad mille quingenta, quo ſpacio continentur 15 Ducatus, 16 provinciæ, & duo regna. Moſci quondam Tartaris ſubditi erant; nam Boido eorum Princeps Anno 1140. ſubjugavit totam Moſcoviam, ſed Ioannes I. Magnus Dux confiſus diſcordiis Tartarorum, qui ſe mutuo vexabant, negavit eis tributum. Progreſſu temporis, cum à Tartaris Precopenſibus ſuperatus eſſet Ammetes, ultimus ſucceſſor Boidi, qui mortuus eſt Vilnæ, adjungit Magnus Dux ſuæ ditioni Permiam, Veatiam & Iugriam, quæ Ammeti ſubditæ erant. Creſcentibus itaque ſemper Magnorum Ducum viribus, cepit Baſilius Cazan, & Ioannes II. Citrachan Provincias, quæ nomina regnorum habent. Vt dicatur quod verum eſt: Magni Duces valde dilatarunt ſuum imperium: ceperunt magnum ducatum Severienſem & Smolocenſem, Bielſchienſem, Preſcovienſem, Novoguardienſem, Iaroslavienſem, Roſcovienſem, partim à Polonis, partim ab aliis Principibus: occuparunt magnam Livoniæ partem, feceruntque ſe terribiles vicinis. Principes & primariæ civitates harum provinciarum ſunt Moſqua, ubi Metropolita habitat: Roſcovia & Novoguardia ſedes Archiepiſcoporum: Cortiſa, Reſania, Columna, Susdelia, Caſanum, Vologda, Tuetia, Smolenczo, quæ Epiſcopatus ſunt; deinde Pleſcovia, Porcovia, Staricia, Sloboda, Iaroslavia, Volodomerica (unde Imperii ſedes translata eſt, per Ioannem II. in civitatem Moſquam) Moſaiconum Nicolai, Sugana, Vſtiud, Cargapolia. Princeps habitat in civitate Moſqua, quæ nomen ſumit à Moſco flumine, quod 90 miliaria altius oritur. Fuit ci-

vitas

vitas Moſqua quondam major, quam nunc eſt, habebatque in circuitu novem milliaria, ſed poſtquam Anno 1570 direpta, flammisque tradita fuit à Tartaris Precopenſibus, non habet nunc in ambitu ultra quinque milliaria, ſtabulanturque in ea cum hominum 30 millibus, boves aliaque talia pecora, ſecundum relationem, quam Poſſevinus, non minus judicio bonus, quam diligens ſcriptor fecit. Novoguardia cognomen magnæ habet, & tamen idem ſcriptor ei attribuit ultra 20 habitatorum millia, ſicut & Smolenzo & Pleſcoviæ: quod mihi difficile creditu videtur: ſi verum eſt, quod alii ſcribunt, ſcilicet, quod cum Pleſcovia obſideretur à Stephano Rege Poloniæ, in ea fuiſſe 50 peditum, & 7 equitum millia. Is numerus adeo magnus eſt, ut quamvis totus ex indigenis compoſitus non fuiſſet, requirit tamen frequentiam hominum ſupra dicta majorem; ubi enim Princeps intrudit implicatque 57 pugnatorum millia, neceſſe eſt, ut ordinarius inhabitatorum numerus multo major ſit. Volunt quidam hanc regionem præteritis temporibus frequentius inhabitatam fuiſſe, ſed quod poſtea tribus de cauſis habitatoribus infrequentior facta ſit. Prima fuit peſtis, (res nova in Moſcovia) quæ multa hominum millia abſtulit: altera Principum crudelitas, qui multos, potiſſimum nobiles occiderunt; tertia excurſiones, & deprædationes Tartarorum Precopitarum & Nagaiorum, qui nunquam quieſcunt, nec vicinos quiete frui ſinunt, non deprædantur ſolum agros, ſed & abducunt totos populos, quos poſtea vendunt Turcis aliiſque gentibus. Vt uno verbo dicam Magnorum Ducum irruptiones in longinquas regiones magnam fecerunt vaſtitatem. Nulla in re melius perſpicitur Principis prudentia, quam in bene diſpiciendo, quæ expeditio ſuo ſtatui ſit futura damnoſa aut utilis, & dum duci ſe non patitur vana ſpecie amplitudinis arripiendæ, quæ non ſit ei futura firma & ſtabilis, ſed ſecuritatem ſuam turbatura; is enim, qui ea ſpe ductus, ut ſtatum ſuum amplificet, eum aut populo aut opibus enervat, mihi ſimilis eſſe videtur illi, qui ut muros & tecta ſuæ domus altius tollat, conſcindit fundamenta ædificii. Totius dignitatis caput eſt conſervare, ſed acquiſitiones illæ, quæ fiunt diminuendo vires proprias, illi legi adverſantur: cumque acquiſitiones ſint tanquam inſitiones, conditionem imperii meliorem, non deteriorem facere debent; ſicut enim fiunt inſitiones, aut ad nobilitandam, aut ad domeſticam reddendam arborem ſylveſtrem; aut

ad plantam infrugiferam emendandam, & ut fertilis fit faciendum, ita & expeditiones Principum tales esse debent, ut commoda & beneficia referant, alias sunt inutiles labores, qui plus destruunt, quam ædificant, & plus perturbationis quam securitatis reddunt. Ejusmodi sunt ordinarie bella, quæ moventur ad acquirendum regiones longe disitas, quæque nihil contigui cum nostris habent: cum enim eam procul absunt, requirunt majora præsidia, quam nostræ facultates, ut eas conservemus, ferunt. Omnis itaque deliberatio expeditionum, tribus capitibus innitidebet: prima est causæ æquitas: altera facilitas vincendi: tertia fructus victoriæ. Bella autem quæ suscipiuntur sine spe alicujus fructus, sunt meræ amentiæ. Magni Duces sæpe terminos sui imperii dilatarunt, sed potentiam non auxerunt. Nemo expeditiones longinquiores, maiorumque expensarum fecit, quam Magnus Dux Ioannes. Cepit enim regna Cazam ad Volgam, & Astrachan ad mare Caspium: subjugavit bonam partem Livoniæ: in quibus expeditionibus periit magnus hominum numerus, in itineribus, in præliis, adsultibus, ferro, morbo, fame, aliisque incommodis. Postquam ea acquisivit fuit opus ibi habere magna præsidia, deducendo eo totas colonias. Cum itaque homines essent longe à domubus, implicati aut in acquirendo alieno, aut in conservanda parte, manserunt domi uxores, quasi viduæ absque prole. Cum itaque homines in extremis regni finibus consumebantur, remansit regni meditullium tanquam cor exangue, privatumq; alimento, cumque ab Stephano Rege Poloniæ impeteretur, defuere ipsi domi vires ad resistendum, amisit itaque Polotiam aliaque magni momenti loca, quæ ei erepta fuere, ac necesse habuit tradere Polonis totam Livoniam. Vt ad nostrum institutum revertamur: Moscovia magna ex parte est occupata sylvis immensis & lacubus. Sylvæ sunt rami Herciniæ, quæ se per totum Septentrionem diffundit, sed plus forsitan in hac provincia, quam in alia. Hic arbores immensæ magnitudinis videntur, suntque propter earum spissitudinem solis radiis impenetrabiles; ex iis arboribus incredibilis resinæ & picis quantitas effluit: hic producitur copia mellis & ceræ inexhausta; apes enim absque curâ humana, faciunt alvearia in corticibus & cavitatibus arborum. Hic est copia omnis pecoris & ferarum: ut sunt, Martures, Zibellini, Lupi, ex quorum pellibus fit dives mercatura. Ex his sylvis exscinditur fere omnis materia,

tam

tam domubus quam munitionibus fabricandis apta : muri enim civitatum fiunt ex trabibus simul conjunctis in quadrante, implentq; vacuum gleba, & terra. Faciunt quoque ex eisdem trabibus turres tantæ altitudinis & crassitudinis, ut omne tormentum bellicum quantumvis magnum ferant. Cito flammis corripiuntur, sed non tam cito cedunt quassationi quæ fit tormentis bellicis. Disputant aliqui, quales munitiones meliores sint, num ex lapide, aut ex calce, aut ex terra : pro ultima sententia adducunt tales causas, quod citius fiant, & minori expensa, meliusque resistant quassationi, & quamvis facile destruuntur, reficiantur quoque brevi tempore, faciliusque mutatur (si casus & occasio necessitasque requirit) latus ex terra constructum, quam ex lapide. Sed his non obstantibus debent præferri munitiones, quæ muros ex lapide habent; cum enim quatuor modi offendendi munitionem sint, tormenta, cuniculi, ignis, excisio (quæ ligone & sarculo fit) murus ex lapide, forte minus resistendo, quam terra cedendo tormentis bellicis præstabit, sed adversus cuniculos, ignem, & excisionem, longe excellit murus ex lapide. Et ad jungendum muro, quod in munitionibus, ex ligno & terra constructis, boni est, eriguntur aggeres intrinseci. De aquis nihil opus est dicere. Moscovia enim est mater fluviorum & lacuum: Duinæ, Borysthenis, Volgæ, Desuæ, Onegæ, Mosæ, Voliscæ, & fama celeberrimi Tanais : Lacus Inæ, ad quem est Magna Novegardia : Voloppo multorumque aliorum. Aquarum abundantia reddit aërem magis frigidum, quam generationi animalium, & propagationi plantarum requiritur, etsi frigus calore salubrius esse æstimatur. Pecudes parvæ sunt, & segetes aliquando non perveniunt ad maturitatem, terra fere ab aquis absorpta, ut plurimum levis est, & arenosa ideoque & siccitas & pluvia immoderata, facile consumunt fruges. Hyems durat novem menses paulo plus aut minus, & tamen hic copia est frugum, hordei & pascuorum, & ex consequenti carnium, tam ferinarum quam mansuetarum. Moscovia producit poma, nuces, corylos, aliorum fructuum vix habent notitiam Mosci, qui ex piscibus faciunt magnum lucrum, eorum siquidem maximam abundantiam habent. Indurant eos frigore & vento, sicut fit in Norvvegia, aliisque in locis Septentrionalibus, servantque eos pro bona annona, tam in præsidiis munitionum, quam in domubus privatorum. Regio non est multum mercaturæ dedita,

quia indigenæ ſuapte natura non ſunt admodum induſtrii. Nec poſſunt ibi eſſe multa mercimonia ubi non florent artes & artificia: tum quod Moſcis non licet ditione ſui Principis excedere. Ob has cauſas non habent ullum uſum maris. Commutant tantum ea quæ regio fert, nempe pelles, reſinam, ceram, cum panno, aliiſque quæ Armeni perferunt in Aſtrachan ad mare Caſpium, & Angli ad Fanum Nicolai ad Sinum Graduicum. Magnus Dux Moſcorum regit ſuos populos magis deſpotice, quam ullus alius Princeps, quem novimus: diſponit enim abſolute de perſonis ſubditorum & ipſorum rebus: ideo dicebat Mahumetes Veſirus, quod Moſcus & Turca, ſoli inter Principes eſſent domini ſuorum dominiorum, eaque de cauſa putabat, expeditionem Stephani Regis Polonorum, plenam difficultatibus fore. Vt in ſua potentia & authoritate ſe Magnus Dux conſervet, utitur artificio & induſtria incredibili: primo non licet cuiquam ſuorum vaſallorum exire regni fines ſub pœna mortis: hac de cauſa nemo ſuorum ſubditorum navigat, nec cum legato externi Principis loqui poteſt, nec uti opera externi medici in ſuis morbis, niſi cum venia. Vtitur apparatu inæſtimabili in veſtitu, addens ornatum Pontificium cum majeſtate Regis: fert capite mytram, margaritis & gemmis precioſiſſimis nitentem. Si eam capite non gerit, habet eam coram ſe in ſuo throno, mutatque eam ad oſtentandam amplitudinem multis vicibus, in ſiniſtra manu tenet Paſtorale ditiſſimum, indutus veſte, aut tunica longa, illi non abſimili, quam Papa gerit ingrediens ſacrarium, digitos annulis aureis refertos habet, Imago Chriſti ad dexteram, & ſanctiſſimæ Matris Virginis ſuper cathedram in qua ſedet, eſt. Regia & proregia tamen eſt plena viris, veſtibus auro depictis, uſque ad talos indutis. In ceremoniis ad Religionem ſpectantibus utitur exquiſita ſagacitate ſolertiaque. Cum aſſidet menſæ, quoties mutantur patinæ aut vult bibere, multa ſigna Crucis edit. In jejuniis exhibet ſingularem venerationem, & in templo præ devotione fronte terram percutit, ſicut & alii. Ne alius plus ipſo ſcire poſſit, nullæ ibi ſcholæ præterquam in quibus docetur legere & ſcribere. Nihil legunt præter Evangelia, & aliquam hiſtoriam, aut deſcriptionem vitarum Sanctorum, aut homiliam Sancti Ioannis Chryſoſtomi aut alterius, haberetq; eum ſuſpectum, qui demonſtrationem faceret, ſe velle in litteris majorem progreſſum facere, nec impune ferret; id facit, ne

ne aliquis plus ipso, aut quantum ipse sapiat: indeque accidit ut Scribæ, nec ipsimet Antiscribæ ordinarie non scribant nec respondeant legatis Principum externorum, nisi in quantum Magnus dux eis dictat. Cum negociantur nunquam Magnus dux nominatur, quin omnes assurgant in pedes, cum magna veneratione: idem etiam ad mensam fit, quando ipse ad bibendum invitat, aut participem facit suæ patinæ aliquem, fit id quoque in mille aliis similibus occasionibus. Docentur à pueris Moschi credere & loqui de ipsorum Principe, sicut de Deo, Deus solus (dicunt) & magnus dominus scit hoc: magnus noster dominus scit omnes res. Omne quidquid habemus, sanitatis & commodi, procedit à Magno Domino. Accidit inde, ut sui subditi, videntes tantam amplitudinem majestatemque, in suo Principe, nec aliarum quam ejus rerum notitiam habentes, reverentur ipsum, obediuntque ei, non sicut subditi, sed tanquam mancipia, habentque eum pro Deo potius, quam pro Principe. Non habet sub se dominos titulis insignes sicut inter nos sunt Duces, & Barones, si ipse alicui pagum aut prædium concedit, non transit ad hæredes, nisi id ipse confirmet. Et si ipse aliis ea concesserit, villici tamen persolvunt ei portionem fructuum, debentque ei operas; id in causa est, ut unusquisque à nutu Magni ducis dependeat, & quanto aliquis ditior sit, tanto ei plus debeat. Vt obviet seditionibus, transfert integras familias, ex uno loco in alium, mittitque in præsidia, quos vult longe à domo tanquam in exilium. Ex iis, quæ dicta sunt, fieri potest judicium de ejus divitiis opibusque. Cum itaq; ipse adeo absolute omnium rerum dominus sit, utitur opera subditorum pro libitu, & tali parte ipsorum bonorum, sicut ipsi placet. Arrogat sibi ex ferarum exuviis talem portionem ac vult, & ex piscibus omnis generis, quantum vult: pellicea vendit aut dat dono, prout liber pisces vento siccati servantur pro munitione. In foro nemo sua vendere potest, nisi Principis primum vendita sint. Minæras auri aut argenti nullas habet. Civitates mercimoniis celebriores, unde ipse maximam redituum partem percipit, sunt Astrachan ad mare Caspium quo deferuntur merces Persiæ & Armeniæ: & Fanum Nicolai ad Sinum Graduicum, quo appellunt naves Anglorum & Hollandorum oneratæ ære aliisque mercibus, quæ inde Vologdam ducuntur. Vbi sui legati domum sunt reversi, aufert eis Lautia, quæ à Principibus acceperunt, dando aliquid in illorum vicem, & aliquando nihil. Vt finem faciam sibi metit, capitque, quidquid in sua

ditione aut boni aut præcioſi eſt. Putatur ipſum aliquem theſaurum habere, in arcibus Moſquæ, Iaroslaviæ & lacus Albi, quod veriſimile eſt. Magnus enim Dux Ioannes ſpoliavit calicibus, reliquiis, crucibus, & argento totam fere Livoniam, nec concedit aurum & argentum ſua ditione efferri, niſi in redemptionem bello captivorum, aliorumque, qui in captivitatem abducti ſunt. Verum quidem eſt, quod amiſſione Livoniæ, quam Anno 1582 ceſſit Stephano Regi Poloniæ, privatus fuit ea regni parte, quæ erat ditiſſima, propter commercium maris Balthici, & meliori ditione quam habebat, in qua erant 34. arces. Munimentum regionis conſiſtit, & in pluralitate paludum fluminumque, & in denſitate nemorum. In uſu habent Moſci, loca hoſtibus proxima depopulari, ut denſæ ſylvæ ibi creſcāt, quod & fit ob terræ humiditatem, ſuntque eæ civitatibus, non ſecus ac ſepes aut valla pro munitione. Multum laboris id Polonis attulit. Vt enim ſibi itinera ad oppida hoſtium pararent, neceſſe eis fuit exſcindere ſylvas & magni temporis jacturam facere. Habet Magnus Dux munitiones, quæ partim ex lapidibus, partim ex lateribus, Italico more, conſtructæ ſunt, ſed abſque lateribus & arte ædificatoria: tales ſunt arces Moſquæ, Novoguardiæ, Pleſcoviæ, Porcoviæ, Stariciæ, Slobodæ, Alexandri; partim ex gleba viminibus contexta & probe calcata, qualis eſt Smolenczo. Sed ordinarie exſtruuntur muri locorum fortium ex magnis trabibus, inter quas conſtipant terram, relinquendo ad defenſionem foramina pro Pyrobolariis. Talis ædificatio commoda eſt defenſioni, contra tormenta bellica, ſed non reſiſtit igni. Subditi Magni Ducis inſerviunt ſuo Principi, in bello, ſicut ante de ſuo regimine agentes diximus, ſed ſe potius timere pœnam (ſi ſe non ſtrenue geſſerint) quam promptitudinem alacritatemque monſtrant: Capitaneis ad nutum ſunt, patiunturq; omnem incommoditatem, non curant frigus nec pluvias, patiunturque incredibiliter inediam famemque, ſuntque parvo contenti. Æſtimantur itaque aptiores defendendis caſtris, quam præliis campeſtribus: illic enim multum valet patientia & tolerantia, hic autem requiritur audacia animusque. Poloni ſunt meliores conflictibus campeſtribus, quam propugnandis arcibus. Magnus Moſcoviæ Dux Ioannes, experientia edoctus de ſuorum in velitationibus & præliis ignavia, & de Polonorum audacia animisque, dicebat ſuos opus habere calcaribus quibus impellerentur, Polonos

lonos freno quo retinerentur. Vires præcipuæ hujus Principis consistunt in equitatu, sed quem equorum numerum educere possit difficile dictu est. Nec tamen credo ipsum trecenta millia armis instruere posse (sicut aliqui dicunt) habet enim ditionem vastam, & pro majori parte incultam. A Cassano enim Astrachanum usque vix invenitur pagus, quamvis inter ea oppida aliquot dierum iter sit. Bello quod ei intulit Stephanus Rex Poloniæ (qui tamen non ultra 60. millia tum equitum tum peditum habebat) ipse tantum militum numerum colligere non potuit, quo non dico se ei aperto Marte objiceret, sed nec potuit ipsum divertere ab oppugnationibus Polotiæ, Vilicoluci aliorumq; locorum, aut ab obsidione Plescoviæ. Anno 1570 penetravit Princeps Tartarorum Præcopitarum, cum 80 equorum millibus, usque in viscera sui Imperii, tradiditque flammis ipsam Mosquam urbem Regalem. Sed ii, qui dicunt Magnum Ducem 300 & Regem Poloniæ 200 equorum millia educere posse, potius numerant capita equorum, quam equitum. Etsi enim tot equorum millia sint, non tamen omnis equus bello bonus est, nec unicuique equitandi ars, aut se armandi facultas est: uni deest animus, alteri opes non suppetunt, alteri vires corporis, alteri animi fortitudo alacritasque desunt. Quamvis in Moscovia, tot equorum hominumque millia essent, quod illi dicunt, admodum difficile tamen esset, (immo vix possibile) eos in unum locum cogere, nec Principi in hoc suppeterent pecuniæ, nec commeatus sufficerent; ducenti enim equi præliatores requirerent in Moscovia ter centum clitellarios, ac alios totidem ministros, quibus omnibus oporteret sufficere commeatus, sicut & annonariis, mercatoribus, artificibus, famulis, qui in bello requiruntur. Necesse itaque esset totam Moscoviam, in unum cogi ac tum verendum, ne in tanto itinere ab una parte regni, in regionem directo contrariam & hominum & jumentorum vires labascerent. Quamvis etiam possibile esset, tantum numerum (sicut dictum est) equorum colligere, id tamen statui non expediret. Necesse enim esset denudare confinia præsidiis, Provincias nervis, civitates Magistratibus, campos agricolis. Inde clare apparet, Principem, cujus status 150 millia equitum cogere posset, abunde præstare, si tertiam eorum partem in exercitum regalem educat, de bellis, non excursionibus loquor. Scribunt aliqui, qui in affirmando magis moderati sunt, Moscum cogere posse 150 equo-

rum millia, si necessitas se defendendi id requireret, & quod Ioannes III. eduxit in expeditionem Astrachanensem, 120. equitum, & 20. peditum millia. Idem adortus est Livoniam, tempore Regis Alexandri, magnis exercitibus, retinuitque adhuc alium ad regni sui fines. Equitatui addidit Magnus Dux Ioannes aliquot millia Pyrobolariorum, quos ipse instituit, inter quos erant multi externi milites, qui ipsi præstiterunt egregiam operam in defensione suarum urbium. Quoquo secundo aut tertio anno describit per regiones bello aptos: in commentarios referuntur filii nobilium & numerus famulorum equorumque. Equites, ditiores præcipue utuntur thoracibus æneis, galeis & laminis subtilibus & tenuibns, quæ ex Persia adferuntur & lanceis. Alii gestant thoraces, gossypio quam optime farcitos, qui sagittis resistunt: hi utuntur arcu, multi eorum sclopeto, omnes ense & pugione; ei inserviunt quoque Germani in bellis & in fortificandis locis. Magno Moscorum Duci junguntur Præcopus, Princeps Tartarorum; Tauricæ Chersonesi Circassi (quinque montium inhabitant hi regionem quæ se ad 7. dierum iter extendit, regunturque à septem Ducibus, Helvetiorum modo) Tartarus Nogay: Reges Sveciæ & Poloniæ. A Præcopo recipit multum damni, nec ei spes est de sumenda vindicta, quod cum Turca confœderatus est Præcopus, instruiturque à Turca sclopetis tormentisque bellicis, habetque in sua ditione loca fortia, cum præsidio Turcico, itaque eum invadere difficile factu arduumque esset; concitaret enim in se potentiam illius. Præcopo commodum est (sicut & pluries fecit) subitam excursionem facere in Provincias Magni Ducis, sicut & potest facere in Provincias Regis Poloniæ & diripere obvia. Si magnus Dux subjugavit Tartaros Cassanenses, & Astrachanenses, accidit id beneficio tormentorum bellicorum, quibus illi carebant. Duxit hic inter alia contra Cassanenses aliquas hujusmodi machinas. Temoni plaustrorum affigebat tabulam latam & crassam, cum multo foramine, trajiciendo Sclopeto & Mosqueto inventum: Cum itaque ipsi graviter ferirent hostes (qui sagittis tantum utebantur quibus Mosci lædi non poterant) non fuit difficile, eos vincere subjugareque. Sed Præcopus habet usum sclopetorum, & quod amplius est amicitiam, & protectionem Turcæ: qui ut sibi iter aperiret in Moscoviam, aut in mare Caspium, tentavit annis jam elapsis ducere fossam à Tanai ad Volgam, (hoc molimen altioris

tioris erat animi, quam Turcæ plerumque faciunt) sed ejus milites fugati fuere à Moscis, in hoc adjuri à Tartaris, qui verebantur, ne plane à Turcis pessundarentur, si illud opus eis succesisset. Nec solum ruperunt classem Turcicam ceperuntq; ejus partem, sed & exitio dederunt exercitum terrestrem, in quo numerabantur 80. Tartarorum, & 25. Turcarum millia, inter quos erant ter mille Ianizari. Circasi vivunt (sicut diximus) more Helvetiorum; non nituntur, ut sibi aliquid acquirant, sed tanquam mercenarii milites militant Turcis, Persis, Mosco, à quo tam longe disiti sunt; ut non habeant occasionem sibi timendi ab ejus viribus. Tartari Nogai magis formidandi sunt, propter subitum impetum & excursionem, quam propter justam potentiam, quæ eis fit, ad suscipiendas expeditiones regias. Annis retro elapsis, cum se movissent, ut Mosco damnum inferrent, retrogressi sunt placati donis, quæ eis missa fuere. Cum hi, sicut & Arabes, dediti sint latrociniis & grassationibus facilius est ipsos avertere donis, quam pugnando. Quod plus est, cum ipsi nec civitatem, nec munitionem habeant, qua expugnata & in dominium hostis redacta deprimi & tanquam freno cohiberi possint, bellum ipsis inferre, est expensas facere sine lucro. Adversus hos tenet Magnus Dux magnum equitatus numerum, in Citrachan, Casan, & Viatca: habet quoque præsidium in Culugan contra Tanam, ut resistant Præcopitis. Cum Rege Sveciæ jungit fines Moscus, præcipue ad partem Finlandiæ, ubi Svecus (cum quo diu bellum gessit) paucis retro annis ei eripuit munitiones Serenosco, Pernaviam majorem & minorem in Livonia, aliaque loca, cum Moscus impeteretur à Rege Stephano. Tenet Svecus in extremitate Sinus Finlandiæ munitionem Viburgum, magno præsidio & expensa, ut resistat Russis & Magno Duci: habet quoque in illo mari & protubus vicinis, suas naves bellicas, tum ut obviet omni tentamento Magni Ducis, tum ut impediat, ne ex Germania in Moscoviam vehantur arma & apparatus bellici: nec aliæ naves quam suæ ad illas oras appellere possunt, nisi permissione, propria Regis manu signata. Hoc præcommodum classis, & potentia navalis fecit Regem Sveciæ, iis locis ubi hanc vim armorum explicare potest, Mosco superiorem, cepitque hac via ab hoste, multa loca in ora Livoniæ locisque vicinis. Sed ubi equitatus Duci, frequentiaque populi usui esse potest, nempe in campis apertis, & in locis longe à mari Bal-

thico diffitis, videtur Magnum Ducem potiores quodammodop arres habuisse; semper enim fere invasit Svecum. Non possunt tamen sibi invicem multum damni inferre, propter asperitatem montium, frigus, glaciem, nivesque. Supereſt Poloniæ Rex, inter quem & Magnum ducem, est differentia, quod Moscus plus regionum habet, sed Poloni melius inhabitatas civilioresque; illi plures subditi obedientioresque sunt, huic autem audaciores & animosiores: illi ad resistendum quam aggrediendum sunt aptiores, hi ad invadendum, illi ad defendendum munitiones, hi adaperto prelio pugnandum, illi magis juncti unitique sunt, hi magis deliberati ad factionem expeditionemque: illi timent minus inediam & incommoditates, hi mortem & ferrum. Sed utrique tantum valent, quantum eorum Princeps virtute & fortitudine præstat; Magnus enim Dux Basilius cepit Magnum Ducatum Smolenscensem, & Poloscensem, & ampliſſimam ditionem in Livonia. E contrario Stephanus Poloniæ Rex eripuit ultimo bello Ioanni Magno Duci, filio Basilii, Polnsco aliaque diversa magni momenti loca: obsedit civitatem Plescovienſem, coegitque tandem Moscum, tota Livonia decedere. Inde videtur populum tantum valere, quantum ingenio animoque valet Rex.

CAPVT VII.

DE
FAMILIA AUSTRIACA.

CVm longo jam tempore Imperium in serenissima familia Austriaca permanserit (habuit enim felicissima continuata nec interrupta successione septem Imperatores) non erit præter institutum nostrum de ea aliquot verba facere. Hæc sereniſſima familia celebris esse, famaque inclarescere cœpit, eodem fere tempore, quo familia Othomannica, excitataque à Deo videtur, ut suæ Ecclesiæ contra Turcos & hæreticos pro vallo & propugnaculo esset. Duos habet palmites, qui à duobus Philippi I. Regis Hiſpaniarum, Archiducis Auſtriæ, filiis Carolo V. & Ferdinando I. Romanis Imperatoribus prognati sunt. Illi Carolo Imp. Belgium, Hiſpaniaque cum iis quæ inde dependent cessit, quæ filio suo dignissimo, Regi Hiſpaniarum Philippo II. reliquit: de ejus ditionibus alias suo loco.

Ferdi-

Ferdinando ditiones in Germania obtigere. Austria nempe, Bohemia, Tyrolensis Comitatus, aliæque Provinciæ, quibus per Annam ejus uxorem, Hungariæ regnum accessit, Ferdinandus I. post se, tres filios reliquit, qui quamvis ditiones patrimoniales in partes tres diviserint, rexerunt tamen reguntque adhuc eas, ipsorum successores, tanquam unam Rempublicam, iisdem consiliis, animis, institutisque, ponuntque nobis ob oculos in effectu, antiquum Geryonem; omnes enim ad defensionem communis status, (quamvis provinciæ alterius sint ditionis) non aliter adcurrunt, quam si ad unum solum omnes pertinerent. Sunt hi status tam ampli, tantique momenti ut nisi tanto terrarum spacio, quantum à montibus Carpathiis ad Segniam usque est, Turcæ adjacerent (qui eos vigilare & semper magnas expensas subire cogit) non populorum frequentia, nec opibus thesaurisque, nec civitatum magnificentia, nec viribus, maximis Orbis Christiani regnis cederent. Facile id percipere poterit is, qui considerarit distantiam à Tergesto ad ultimos Lusatiæ terminos, à Tibisco ad Nabum, & à Canisia, Constantiam ad lacum Podamicum usque; iis finibus continentur, Lusatia, Silesia, Bohemia, Moravia, Austria, & magna Hungariæ pars, (hæ Provinciæ amplissimæ, populo frequentes, commeatu opibusq; abundantes sunt) præterea Stiria, Carinthia, Carniola, Comitatus Goritiæ, Tyrolis, Ciliæ, & Principatus Sueviæ, Alsatiæ, Brisgoviæ, Constantiæ. Inter has Provincias Bohemia se in longitudinem, ad 140. milliaria extendit, diciturque ea continere 380. tum arces, tum oppida muris cincta, & 32 pagorum millia, Moravia, Silesia, Lusatia, & earum unaquæque de amplitudine cum Bohemia contendit, sed ab ea potentia populique frequentia vincuntur. Tres hæ Provinciæ in longitudinem ad 400 in latitudinem ad 120 milliaria protenduntur. Optimo peditatu, equitatuque abundant. Lusatiæ milites (quorum 20 millia, qui apti bello sint, facillime conscribi possent) inter optimos pedites censentur. Stiria, quæ minæris argenti ferrique dives est in longitudinem ad 60 in latitudinem ad 110. milliaria excurrit. Carinthia (hæc maxima sui parte montosa sylvisque plena est) in longitudine 75 in latitudine autem 55 milliaria continet. Carniola dum ditionibus vicinis Tergestum usque, extendit se per 150. milliaria, latitudo autem earum est 45 milliarium. Frugibus, vino, carne, ligno abundant. Comitatus Tyrolensis minæris argenti fa-

ti salinisque dives est, longus latusque 18. milliaribus Germanicis. Præterea ditiones in Svevia, Alsatia, Rhetia (familia Anstriaca in hac 18 communitates sub sua jurisdictione habet). Hæ Provinciæ omnes, plus minus, duas Myriades & semissem ordinarii reditus, tantumque extraordinarie pendunt: incolis frequentes adeo sunt, ut necessitate urgente, centum peditum, & plus quam 30 equitum millia conscribere possent. Non scio, an ex aliquo Europæ regno major militum numerus educi queat. Itaq; non tam impotens Princeps est Imperator, quam aliqui ipsum ex ignorantia imperiorum existimant, putantes ipsius dominium arctis finibus circumscriptũ, & commeatus inopem esse, populoque infrequens videri, ipsumque pecuniæ inopia laborare; est enim ejus dominium amplissimum, fertilissimum. ditissimum, populoque frequentissimum, sed Turca conterminus (cui ipse à montibus Carpathiis ad mare Adriaticum usque adjacet) posset vel potentioris Principis nervos elidere. Nullum Principem putarim, cujus fines Turcarum finibus terra jungantur, qui non solum belli tempore sumptibus exhauriatur, sed & pacis tempore. Faciendæ sunt enim immensæ expensæ in extruendis munitionibus earumque præsidiis: Turca enim magnis viribus, iisque fortibus, alacribus, omnique tempore promptis præstat, estque pacis tempore armis instructior, quam quisquam aliorum Principum, dum bellum maxime viget. Necesse itaque est, ut is, qui Turcæ conterminus est, ob suspicionem metumque adeo præpotentis hostis, semper sibi caveat, & sumptus faciat, sicut Imperator stipendia largitur, plus minus 20. militum millibus, in confiniis Hungariæ excubantibus. Hæ sunt magnæ expensæ, nec minus munitionibus locorum impendendum est, ultra alias expensas, in arcanis negociis, quæ hujus instituti non est commemorare. Cum itaque videmus Turcam, insatiabilis draconis instar, tot nobilissimas Provincias, tot florentissima regna devorasse, suæque subjecisse tyrannidi tot civitates, quæ extra omne periculum esse putabantur, totque loca, quæ capi non posse putabantur expugnasse, ne dormiamus in utramque aurem, & cum ad scapulas lateraque nostra sit, ne existimemus cum longe abesse.

CAPVT

CAPVT VIII.

DE
IMPERIO ROMANO.

IMperium Romanum, quod imperante Trajano erat amplisſimum in Scotia, extendebatur enim ab Oceano Hibernico, ultra Tigrim; Oceano Atlantico, ad Sinum Perſicum: ab Atlante ad ſylvam Calidoniam, pertingebatque ad flumen Albim, tranſibatque Danubium, primum labi cœpit bellis civilibus Galbæ, Othonis, Vitellii; iis enim temporibus exercitus, qui in magna Britannia pro præſidio erat, trajecit in Continentem: Hollandia & vicinæ regiones rebellarunt, paucique temporis progreſſu, Imperii finibus præſidio deſtitutis transmiſerunt Sarmatæ Danubium: Alani ſuperarunt fauces Caſpias: Perſæ acquiſiverunt nomen & potentiam: Gothi pervagati ſunt Moeſiam & Macedoniam; Franci ingreſſi ſunt Gallias. Conſtantinus Imp. reſtituit imperium antiquo ſplendori, ſopivit bella domeſtica, frenavit Tyrannos, Barbaros, & gentes hoſtiles: ſed duo fuerunt quæ Imperium multum debilitarunt. Primum fuit translatio ſedis Imperialis Roma Conſtantinopolim, quod factum diſpoliavit Romam, & debilitavit Imperium; luce enim clarius eſt, quod ſicut plantæ, ex nativo ſolo in regiones climate & qualitate diverſas transplantatæ, parum retinent virtutis naturalis: ita & res humanæ, præcipuè autem dominia & ſtatus magnis illis mutationibus perdunt ſuum vigorem & ſtabilitatem. Eam ob cauſam Senatus Romanus nunquam plebi conſentire voluit, ut Roma Vejam commigraret, quæ civitas multo gratior, & magis commoda erat, quam Roma, maxime poſtquam à Gallis ruinæ tradita fuerat. Locus in quo Conſtantinopolis ſita eſt, adeo amœnus, commodus & fertilis eſt, ut ſit difficillimum, ut virtus ibi altas radices agat: non enim toto Orbe terrarum civitas eſt, quam terra & mare majore favore proſequantur: illa enim nunc ſe in fertiliſſimos campos extendendo, nunc in delicioſas valles ſe dimittendo, rurſusq; leniter in fructiferos colles aſſurgendo, nunc ſe flexibus in mare inſinuando, rurſusque ſe retrorſum vertendo, abunde incolis omne deliciarum genus, non ſolum frumenta & vina confert. Diceres ibi Bacchum cum Cerere, Pomanam cum Flora, pulchritudinem cum

fœcun-

fœcunditate certare. Poſtquam mare minimo ſpacio, plurimos gratos ſinus & tranquillos portus fecit, quorum in ſolo Boſphoro (nec istamen plus quam 25 milliaria longus eſt) triginta numerantur, benigno aſpectu quaſi blanditur civitati & regioni, ducitque eo magnis claſſibus hinc annonam Syriæ & Ægypti; inde divitias Trapezuntinas Caphæque. Nunquam ibi fructus, nec meſſes, nunc Thraciæ, tunc Aſiæ deſunt: eo quoque tendit tanta optimorum piſcium copia, qui gyros agendo & ludendo, fere domus civitatis ſubeunt, ut qui id non viderit, incredibile judicet, piſces enim nunc fugiendo frigus hyemis, tranſeunt ex Ponto Euxino, in aſpectu civitatis Conſtantinopolitanæ, Propontidem verſus, nunc vitantes æſtatis fervorem, redeunt eadem via, qua digreſſi erant. Duabus itaque anni tempeſtatibus, eorum infinita copia ſumma delectatione, cui commodum par eſt, capitur. Sunt ibi præterea Cidari & Barbiſa ſumme amœni & jucundi fluvii, qui ambo celebrem hunc ſinum influunt, qui inter Conſtantinopolim & Peram eſt dilataturque; dicitur is à ſcriptoribus cornu aureum. Vt finem faciam; non eſt locus rerum affluentia, enervandæ virtuti aptior, nec ad virtutem voluptatibus corrumpendam commodior: id aperte demonſtrant ſegnities & mollities majoris partis Imp. Græcorum, ipſorumque exercituum. Si amœnitas oræ Tarentinæ, & deliciæ regionis Sibaritarum potuerunt ignavos facere, & corrumpere mores iſtorum populorum; ſi deliciæ Capuanæ potuerunt emollire & extinguere ferociam virtutemque Hannibalis ſuorumque militum; ſi Plato diſciplinæ incapaces Cyreneos æſtimavit, propter ſuam proſperitatem: quid ſtatuendum erit de loco Conſtantinopolitano, dulci & oportuno ſupra omnes, qui in Orbe terrarum ſunt. In ſumma, cum nullæ res magis pernicioſæ ſint Reipublicæ, quam magnæ novitates, quæ res majori damno, ne dicam exitio potuit contingere Imperio Romano, quam adeo ingens ac ſubita, præter omnium expectationem immutatio? Non plus minusve fecit bonus ille Imperator, quam ſi quis ad dandum animali meliorem formam, cerebrum ad genua, aut cor è ſuo loco ad cubitum transferret. Secundum erratum Conſtantini fuit diviſio Imperii ſuis filiis facta in tres partes, quod contigit Anno Domini 341 qua ex magno Imperio tria fecit, cum notabili diminutione authoritatis & virium; cum enim ejus filii inter ſe armis decertarent, taliter ſe invicem conſumpſerunt, ut Imperium quaſi exangue

exangue corpus remanserit. Quamvis autem Imperium aliquot vicibus sub uno Principe coaluerit, divisioni tamen adeo aptum remansit, ut raro acciderit, quin in Orientale & Occidentale non fuerit partitum, usque dum Odoacer Herulorum & Turingorum Rex magno cum exercitu Italiam ingressus in tam magnas angustias conjecit Augustulum, ut præ desperatione se imperio Occidentali abdicarit, quod accidit Anno 476. Hunni jam antea Danubium transmiserant; Alaricus Vandalorum Rex Romam ceperat; Vandali primum Andalusiam & postea Africam; Alani Lusitaniam; Gothi majorem Hispaniæ partem; Angli Britanniam; Burgundiones Provinciam occupabant. Iustinianus Imperator res aliquantulum in melius restituit, nam per suos Capitaneos exegit Vandalos Africa, & Gothos Italia Anno 556. Sed parvo tantum tempore id duravit; nam Anno 713 cœperunt Orientale Imperium vexare arma & hæresis Mahumedana, brevique tempore fuere à Saracenis oppressæ præter Syriam, Ægyptum & Archipelagum, Africa, Sicilia & Hispania. Anno 735 occuparunt quoq; Saraceni Narbonem, Avenionem, Toloſam, Burdegalam & regiones vicinas. Imperium itaque Occidentale paulatim prorsus in direptionem abiit : Orientale autem adeo invalidum remansit, ut vix aliquot vicibus civitatem Constantinopolitanam contra Saracenorum arma defendere, multo minus Occidenti auxilium ferre potuerit. Anno autem Christi 800 titulos Occidentalis imperii adeptus est Carolus Magnus Francorum Rex, quam rem recenset Ado Viennæ Archiepiscopus verbis sequentibus: In die sancto Nativitatis Domini ante confessionem Beati Apostoli, cum glorioſus Rex Carolus ab oratione surrexisset, Leo Pontifex capiti ejus coronam imposuit, sicque ab universo populo acclamatum est : Carolo Augusto, à Deo coronato, Magno, Pacifico, Imperatori Romanorum, vita & victoria. Divisum itaque fuit Occidentale Imperium ab Orientali hoc modo, ut Neapolis & Sipontum Orientem versus, cum Sicilia Græcorum esset, Beneventum Longobardis remaneret, Veneti neutri parti adscripti, Status Ecclesiæ liber esset, reliquum Carolo Magno cederet. Blondus vult Irenem Imperatricem primum in eam divisionem consensisse, deinde à Nicephoro confirmatam esse. Habuit itaque divisio Imperii initium à translatione sedis Imperialis Roma Constantinopolim; crevit distractione in plures Principes; pervenit ad perfectionem assumptione

ptione Caroli Magni. Ante eum enim modus regiminis, leges, magistratus & consilia erant communia, tendebantque ad bonum commodumque utriusque Imperii, tanquam membrorum ejusdem corporis, & si unus Imperatorum moriebatur absque filiis, totum Imperium manebat alteri; sed Carolo Romano in Imperatorem Occidentis electo, nulla amplius fuit habita ratio Imperii Orientis, nec Imperator Orientis unquam successit in Imperium Occidentis, nec ejus Imperator in Orientis Imperium. Permansit autem Imperium Occidentis in familia Caroli Magni paulo minus, quam centum annis; defecit autem ea familia in Arnolpho. Anno Christi 1002. abscripto omni jure hæreditatis, creatio Imperatoris in libera electione Septem Principum, qui Electores nuncupantur, posita fuit. Ratio faciendi imperium electivum, quod eo usque familiæ Caroli Magni hæreditarium extiterat, fuit, quod Imp. Otho III filios non habuit: utque dignitate personæ quæ eligeretur, Imperium firmius redderetur, Imperium Occidentis tunc valde coarctatum & concisum erat, nihil enim ei quam Germania & Italiæ pars supererat; Pontifex siquidem Romanus bonam Italiæ partem possidebat. Veneti in medio utriusque Imperii positi vivebant in plena libertate, cum Dominio annexo suo statui: Regna Neapolis & Siciliæ, quæ Normanni Græcis eripuerant, Ecclesiæ Romanæ Feudataria facta erant, primum sub Clemente Antipapa, deinde sub Nicolao II & ejus successoribus, qui Antipapæ factum propter emolumentum approbarunt: Lombardia & Thuscia, partim propter dissidia Imperatorum, Henrici IV & V, Friderici I & II, cum Pontificibus Romanis; partim propter populorum ferociam, Imperatoribus plus laboris & impensæ, quam commodi attulerant. Rudolpho Imp. itaque non solum in Italiam proficisci, curæ non fuit, (quod eum infortunia, adversæque res suorum antecessorum terrerent) sed & populis Italiæ libertatem parvo precio vendidit. Lucensibus non constitit libertas plus quam decem aureorum millibus: Florentini eam sex aureorum millibus redemerunt. Deficientibus itaque cum reputatione viribus Imperii, ei in Italia, præter nomen, nihil fere remansit. Vicecomites Mediolanenses, & successive alii Domini, aliis locis rapuerunt sibi dominia, quæ potuerunt absque ullo Imperatoris respectu, tantumque petebant investituram suorum statuum. Sed Franciscus, cum sibi armis statum Mediolanensem parasset, parvi

fecit

fecit Investituram, existimans se posse se ipsum conservare in ejus possessione, iisdem artibus, quibus eum sibi comparaverat. Vltra montes substraxerunt se Imperio multi Principes, ita ut Imperium præsenti tempore fere in Germania concluſum sit. Sed quod dominia in Germania uniformia non sunt, describam illa ut sequitur. Aliqua dominia sunt quasi membra Imperii, sed separata; quamvis enim Imperii sint, non id agnoscunt, nec agnoscere volunt, sicut Reges Daniæ & Sueciæ, Dux Prussiæ, Helvetii, Rheti. Alia agnoscunt quidem Imperatorem pro supremo Principe, sed dictas Imperii non invisunt, nec contribuunt feruntque onera Imperii, sicut Duces Sabaudiæ, Lotharingiæ, & Principes Italiæ. Alia invisunt dictas feruntque onera, sicut Principes & civitates Germaniæ; sed Rex Bohemiæ à Carolo IV. Imp. à contributionibus exemptus est. Alia dominia non solum pendunt communes contributiones Imperii, sed quod plus est, solvunt Imperatori tributum particulare; eæ sunt illæ civitates, quæ Imperiales nuncupantur. Aliqui Principes Germaniæ non solum inter sunt Comitiis Imperii, sed & electioni Imperatoris: hi sunt sex Electores, tres Ecclesiastici & tres Laici, quibus jungitur si vota imparia sunt, Rex Bohemiæ, qui non venit ad convocationem, (quæ Dieta dicitur) nihilominus calculum in electione habet. Sed loquendo stricte; Civitates & Principes Imperii proprie dicuntur, qui Dietis interſunt, & tanquam membra unius corporis, participant bona & mala, emolumenta & onera. Hi viventes fere modo Reipublicæ simul unitæ, ad defensionem communem, habent Imperatorem pro capite, qui non regit absolute, sed per comitia, nec tamen indicit illa absque præcedenti consensu maximæ partis Electorum. Deliberationum decreta, quæ edicuntur, irrita fieri non possunt, nisi per aliam Dietam; sed Imperator habet plenam authoritatem mandandi executioni decreta. Imperator itaque quod ad dignitatem & præeminentiam spectat, est primus Christianorum Princeps, tanquam is, in quem cessere jura Reipublicæ & Imperii Romani. Ejus est protegere Ecclesiam Dei, defendere fidem, procurareque pacem, & bonum Reipublicæ Christianæ. Cum vires Imperii sitæ sint in Germania, necesse est, ut duo verba dicamus de hac ampliſſima nobilisſimaque Provincia. Iacet fere inter Oderam & Mosam, inter Vistulam & fluviolum Aa, qui apud Gravelingam fluit: & inter Oceanum Germanicum & Balthicum Alpes q.

Ejus figura quadrata est, longitudine fere & latitudine æqualis, 650 milliarium quaqua versum. Maxime abundat frugibus, pecudibus, piscibus: id experientia compertum sæpe fuit: Carolus V. enim, ut Turcis resisteret, habuit sub signis ad Viennam 90 peditum, & 35 equitum millia ad Iavarinum contra eosdem Turcas, nec tamen caritas ibi experta fuit. Bello inter Carolum V. & Protestantes per aliquot menses abunde se sustinuerunt in campis, fere 150 militum millia: dives quoque est minæris auri, argenti omnisque generis metalli, superatque alias Europæ Provincias; natura quoque largita est ei, in regionibus longissime à mari disitis fontes & puteos aquæ salsæ, ex quibus excoquitur sal perfectum. Nec minus mercatrix est, quam fertilis: indigenæ enim plus quam ulla alia natio, vacant opificiis, faciuntque artificia miratu digna, estque Germania tam probe à natura dotata, ornataque magnis fluminibus, quæ ubique navigantur, ut commeatus, & merces faciliter ex uno loco in alium devehantur. Fluviorum omnium maximus est Danubius. Ab illo Rhenus, qui Germaniam à Meridie ad Septentrionem transgreditur, sicut Danubius ab Occasu ad Ortum. Albis oritur in Bohemia, lambit Misniam Saxoniam, Marchiam Antiquam. Odera oritur in Moravia, lavat Silesiam, duas Marchias, Pomeraniam. VVesara, Neccarus, Mosa, Mosella, Isara, Oenus, Varta, Mœnus. Hic Germaniam in superiorem & inferiorem dividit: Superior est, quæ à Mœno ad Alpes usque se extendit. Inferior quæ à Mœno Oceanum versus excurrit, Germania in plures Provincias divisa est, sed præcipuæ sunt (loquor de iis, quæ viva membra imperii sunt) Alsatia, Suevia, Bavaria, Austria, Bohemia (quamvis hæc multis privilegiis gaudeat, quæ eam ab oneribus eximunt) Moravia, Silesia, Lusatia, duæ Marchiæ, Saxonia, Misnia, Thuringia, Franconia, Hassia, VVestphalia, Clivia, Megapolis, Pomerania. In dictis Germaniæ Provinciis cum iis non computando Belgium & Helvetiam, æstimatur esse circiter decem hominum myriades. Dividitur populus in quatuor hominum munera aut status; rusticos nempe, qui nullo in numero sunt, civitatum incolas, Barones, Prælatos. Vltima tria genera conveniunt, faciũtq; status Imperii. Inter Prælatos obtinent primum locum Archiepiscopi Electores: inter hos Moguntinus est Cancellarius Germaniæ, sequitur Colonienſis; deinde Trevirenſis, Cancellarii; ille Italiæ; hic Galliæ. Sequitur Archiepiscopatus Saltzburgenſis, maximus & digni-

dignitate & divitiis. Episcopus Magdeburgensis se Primatem Germaniæ inscribit. Bremensis & Hamburgensis quoque multas Iurisdictiones habuerunt. Sequuntur deinde plus quam 40. Episcopi, & Magnus Magister Ordinis Teutonici & Magister Equitum Hierosolymitanorum. Sunt quoque septem Abbates, iique Imperii Principes. Inter Principes sæculares obtinet primum locum Rex Bohemiæ, qui est supremus Dapifer; Dux Saxoniæ Marescallus: Marchio Brandenburgensis Camerarius; Comes Palatinus Architriclinus Imperii. Præter hos Principes sunt 34. alii Duces, inter quos habent primum locum Archiduces Austriæ. Inter Duces Imperii quoque numeratur Rex Daniæ propter Ducatum Holsatiæ. Sunt deinde Marchiones, Lantgravii, Comites, Barones innumeri. Civitates liberæ quarum 96. esse solebant, nunc sunt circiter 60. quæ omnes se ipsas propriis legibus regunt, ulterius obligatæ non sunt, quam quod duas quintas partes, ejus quod in Conventu consentitur, contribuunt. Earum aliquæ Imperiales dicuntur (sicut diximus) quod censum Imperatori solvant, qui census in totum ad 15. florenorum millia accedit; habent civitates satis amplos reditus, qui ut plurimum onera excedunt. Æstimatur Imperium in totum habere plus quam septem Myriades in reditibus, quod pro re parvi momenti habendum non est. Cum enim populi gravati non sint, ut in Italia, dant præter ordinarium suis Principibus maxima subsidia, quando id requirit necessitas. Imperium obligatum est, saltem ex consuetudine, præstare Imperatori, quando Romam vadit ut coronetur, 20 peditum, & 4 equitum millia, spatio octo mensium, diciturque ideo subsidium Romanum. Reditus civitatum & Principum laicorum, valde crevere, tum usurpatione bonorum Ecclesiasticorum, tum variis impositionibus populo impositis, quæ cum in Italia ortum habuerint, facile se diffuderunt (exemplum enim malum crescit semper) per Franciam & Germaniam. Necessitate exigente, contribuit Imperium maximas pecuniarum summas, colliguntque extraordinariæ. Ut eæ contributiones facilius colligi possint, est Germania in decem circulos divisa, in quibus fiunt conventus particulares, pro executione Edictorum, quæ in Dietis Imperii facta sunt, & aliis similibus incidentibus. Vires Germaniæ sunt absque dubio maximæ: copia enim commeatuum inexhausta est. Reditus ordinarii & extraordinarii permagni, & modus colligendi commeatus facillimus

et propter fluviorum opportunitatem. Quod ad populum attinet, æstimatur totum Imperium in exercitum educere posse, tum equitum, cum peditum ducenta millia, cujus experimentum factum fuit bellis, quæ supra commemoravimus, docet id quoque experientia. Ab anno enim 1566 permultum belligeratum est in Francia, & in Belgio militibus Germanis, quorum factæ sunt, fiuntque adhuc quotidie conscriptiones non minus frequentes, quam magnæ, cum peditum, tum equitum: uno eodemque tempore VVolfgangus Dux Bipontinus duxit in Franciam 12 peditum & 8 equitum Germanorum millia, pro Huguenotis, erantque in ea (Francia) adhuc alia quinque equitum millia, quibus præerat Comes Mansfeldius pro Catholicis: Guilielmus Nassavius habebat in Belgio & finibus Franciæ octo equitum, & 10 peditum millia dictæ nationis, & dux Albanus tria millia. Taceo de numero Germanorum, qui Flandriam ingressi sunt Duce Casimiro, & Franciam eodem Duce Anno 1578. Eorumque quorum pars anno præsenti eam ingressa est in auxilium Regis Franciæ; pars, ut auxilio esset fœderi Catholicorum Franciæ. Vt extremam manum imponam: cum continuo belligeretur in diversæ Europæ partibus, natio Germanica adeo numerosa est, ut absque ea nullæ fere fiant expeditiones. Non loquor hic de Flandris, qui aliquot vicibus, exercitum 80 millium virorum collegerunt, iisque restiterunt potentiæ Francorum: aut de Helvetiis, quos 120 peditum millia, ad sui defensionem posse cogere æstimatur: eorum aliquando plus quam 30 millia extra ditionem miserunt in defensionem Status Mediolanensis adversus Franciscum I Franciæ Regem. Sed ut ad institutum revertamur: Inter Germaniæ pedites meliores censentur Tyrolenses, Suevi & VVestphali. Inter equites Brunsuicenses, maxime autem Clivenses & Franconienses. Inter arma melius tractant Gremani ensem sarissamq; quam sclopeta. Valent Germani satis præliis campestribus, tam ad confligendum cum hostibus quam ad iis resistendum: multum enim facit ordo, qui ipsis quasi naturalis est, incessus gravis & firmus, armaque quibus utuntur defensioni apta: parum valent ad defensionem munitionum, & propter corporum gravitatem, & quod ut plurimum ventricosi sunt, oppugnatiouibus inepti habentur. Sunt itaque Germani potius constantes, quam audaces, feroces, quam strenui: non enim tentant res, in quibus magnanimitas eluceat. In victoria occidunt sine excep-

tione

ptione ætatis & sexus, in quoscunque incurrunt. Si bellum in longum ducitur, aut obsidentur, dedunt se præ segnitie. Si in castris degunt, moram patienter non ferunt nec sciunt vincere cunctando. Si prima molimina non succedunt ex sententia, stant attoniti caduntque animis. In fugam semel conjecti nunquam amplius recolliguntur. In eo præstant Hispani omnibus nationibus. In Germanorum militia magni sumptus faciendi sunt, multæ quoque molestiæ est, quod uxores secum in bella ducant, tantumque absumunt commeatus, ut eum convehere difficile, conservare quasi impossibile sit: absque commeatu autem nihil boni sperandum est. Equi Germanici potius fortes quam animosi sunt, & cum ex decem, qui in bellum ducuntur, octo ab aratro sumuntur, parum prosunt: videntesque sanguinem vilescunt: contrarium accidit Asturconibus, iis enim crescit audacia. Concludendo rem, peditatus Germanicus in suo genere equitatu potior est. Vires maritimæ Germaniæ terrestribus minores non sunt, quamvis ex non adeo in usu sint, sicut terrestres. Civitates enim Hamburgum, Lubeca, Rostochium & aliæ, habent hæc centum, hæc 150 naves, quibus æquant vires Regum Daniæ & Sueciæ. His viribus adeo fortis potensque est Germania, ut unita nullum hostem timeat. Viribus quas diximus Germaniæ, junguntur (cum opus est) auxilia Principum Italiæ, Sabaudiæ, Lotharingiæ. Hi enim Principes in necessitate nunquam defuere Imperio. Bello enim Zigethano misit Emmanuel Dux Sabaudiæ sexcentos equites Sclopeterios; Cosmus Florentiæ Dux tria peditum millia, quibus ipse stipendia dabat: Alfonsus II Ferrariæ Dux ipse profectus est, cum mille & quingentis equitibus adeo probe instructis, ut in castris melior equitatus non esset. Eo se quoque contulit Guilielmus Mantuæ Dux cum instructissima cohorte virorum. Henricus Lotharingus, Guisiæ Dux, ei expeditioni interfuit cum trecentis nobilitate claris viris. Cum his militibus & aliis quos adjunxit Papa Pius V. habuit Maximilianus II sub signis centum peditum & 35. equitum millia: Ordines Imperii ei in Comitiis Anno 1566. Augustæ Vindelicorum habitis, concesserant 40. peditum & 8. equitum millia in 8. menses & 20 peditum & 4 equitum millia in tres annos subsequentes.

CAPUT

CAPVT IX.

DE PONTIFICE ROMANO.

POntificis Romani amplitudo eſt duorum generum : una conſiſtit in dominio, quod habet, altera in autoritate ſpirituali. Dominium temporale eſt duorum generum : unum eſt utile, niſi velimus dicere immediatum, alterum eſt directum & mediatum. Quod ad dominium utile ſpectat, Papa bonam Italiæ partem poſſidet, nempe omne id quod inter fluvium, quæ vulgo Fiore dicitur, & Cajetam, inter Primaro & fauces Truentii eſt excepto Ducatu Vrbini. Eo ſpacio comprehenduntur Provinciæ, Bononienſis, Romandiola, Marchia, Vmbria, Ducatus Spoletanus, Patrimonium Sancti Petri, Latium. Hic Status eſt ex præcipuis Italiæ, tum propter ſitum (eſt enim quaſi in ejus centro, extenditurque à mari Adriatico ad Tyrrhenum) tum etiam propter ſummam annonæ copiam, frugum præcipue, olei & vini. Romandiola enim non tantum ſibi, ſed etiam vicinis oleum vinumque producit, mittitque eorum magnam copiam Venetis, & in Illyricum, conficit quoque Cerviæ ſibi & aliis ſal. Marchia aliquot vicibus ſuppeditavit Venetis, uſque ad centum Stare (menſuræ genus eſt) frumenti millia, magnamque olei quantitatem. Quamvis Vmbria tantum frugum non habet, ut eas foris emittere poſſit, alieni tamen ipſa non indiget; vinum fere undique in ea creſcit, habetque pecudes, multis quoque locis ſatis croci. Patrimonium & Latium plus quam ſemel frugibus adjuverunt Genuam, aliquibus quoque vicibus Neapolim. Hic Status gente audace bellicoſaque plenus eſt, æſtimaturque ipſum in eo excedere omnes alios Italiæ Status: poſſent colligi ex Bononienſi, Romandiola, & Marchia, plus quam 20 peditum millia, ex reliquo tantumdem. Tempore Papæ Clementis ſola Marchia ſuppeditavit 15 militum millia in ejusdem auxilium. Civitates præcipuæ ſunt Roma Orbis caput, in qua centum hominum millia numerari poſſunt: Bononia, quæ plus quam 80 millia utriusque ſexus ſuppeditare poſſet, Perugia, Ancona, Ravenna, Ariminium, Ceſenna, Forum Iulii, Faventia, Imola, Macerata, Firmum, Aſculum, Camerinum, Spoletum, Norcia, Rietum, Tarnia, Narnia, Oruietum, Viterbum, Aſiſium, Foli-

Folignum Todi & forte 30 aliæ. Nec desunt arces munitæ: intereas est castellum & burgus Romæ, (si perficiatur) civitas Orvietum, quam natura muro cinxit, Terracina, Civitas Castelli, Fanum. Possent muniri multæ civitates, quæ loci & situs commoditate excellunt, nempe Aqua pendens, Mons Phaliscorum Viterbum, Ancona, Spoletum, Narnia, Portus & Civitas vetus. Multum splendoris & amplitudinis etiam huic ditioni statuique ecclesiastico, addit multitudo familiarum tam pacis, quam belli artibus illustrium, quæ in hac ditione sunt, quod in causa est, cur Reges & Principes Christiani suis exercitibus & factionibus, Duces inde petant. Si Princeps hujus Status non esset Ecclesiasticus, sed civilis, sive ut vulgo loquimur secularis, Provincia Romanorum nullo Principi Italiæ frequentia populi aut potentia cederet. Habet Pontifex præter hæc, Statum Avenionensem in Francia, in quo quatuor civitates, & 80. oppida muris cincta sunt. Habet in regno Neapolitano, Beneventum. Quantum ad dominium directum spectat, Papa est Patronus Regni Neapolitani, & Siciliæ, quæ feuda alia omnia nobilitate superant, præterea Ducatuum Vrbini, Ferrariæ, Parmæ, Messerani & aliorum. Insula Hibernia & Regnum Angliæ juris Ecclesiæ Romanæ, eique tributaria fuere. Habet jus supremum in omnes ordines Religionis & in clerum. Confert quoque beneficia omnia. Habet itaque mille remunerandi modos, & sicut dicebat Xystus IV Papæ non deerunt pecuniæ, quam diu ipsi manus erunt calamus. Pius IV habuit à Religionibus quadringenta aureorum millia, & si renunciationes beneficiorum cum regressibus, & compositiones admittere voluisset, sicut ei consulebatur, aureorum myriadem recipere poterat. Paulus III cum Imperatore, & Venetis fœdus adversus Turcas fecit, tulitq; sextam impensarum partem, misit Carolo V in auxilium belli, contra Lutheranos 12. peditum millia & quingentos equites, suis stipendiis militantes, evexitque suam familiam in eam amplitudinem, in qua est. Pius V misit quatuor peditum millia, & mille equites in auxilium Caroli IX Regis Franciæ. Sixtus V quinque annis & semis sui Pontificatus collegit quinque aureorum milliones, impenditque magnam pecuniæ vim in aquæductibus, fontibus, pyramidibus, palatiis, templis.

CAPVT X.

DE

DUCE SABAUDIÆ.

DOminium Ducis Sabaudiæ patet in longitudine ad 300 milliaria Italica, initium faciendo à finibus Comitatus Burgundiæ Breſſæque, progrediendoque ad fluvium Seſiam ſupra Vercellam, cjus latitudo eſt 160 milliarium, incipiendo à monte Sancti Bernardi & valle Auguſtæ, ad mare Liguſticum uſque, ubi eſt Nicea Provinciæ, vulgo Nizza en Provenza, taliſq; eſt ejus forma, ut in ambitu nongenta milliaria comprehendat. Totum hoc Dominium ad Orientem videt Statum Mediolanenſem & Marchionatum Montisferrati: ad Occidentem ei eſt fluvius Araris, vulgo la Saone, & Liber Comitatus Burgundiæ: à Meridie jungitur Provinciæ & Delphinatui, & Liguriæ, Comitatusque Niceæ alluitur mari Liguſtico: ad Septentrionem habet Helvetiam. Dividi poteſt Dominium Ducis Sabaudiæ in partes duas, ſicut & Alpes id dividunt. In Saubaudiam nempe & Pedemontium. In Sabaudia ſunt Epiſcopatus Tarentaſienſis, Maurianenſis & Beleienſis, habetque Dux nominationem Epiſcoporum. Sunt quoque in Sabaudia tres arces ſive caſtella, vulgo dicuntur Bourg en Breſſe, Mommelian, Nuntiata. Sabaudiam inhabitant quingenta animarum millia. Solebat Dux ſtipendia largiri aliquot turmis equitum levioris armaturæ Sabaudis, qui ſe ſtrenue gerebant in præſidiis Breſſæ & Chamberiaci, ſed Dux ut ſumtus, quos in eam militiam faciebat, belli tempore melius collocaret omnes illos milites dimiſit. Nobilium virorum Duci Feudatoriorum magnus eſt numerus, qui ſe in armis exercent, quod ſæpe cum Francis bella geſſerint Sabaudi. Pedemontium nihil ſimile cum Sabaudia habet; hæc enim montoſa, eſt. Pedemontii autem pars maxima plana æqualiſque eſt, aſpectu jucunda, nec ſolum delectat ejus amœnitas viſum, ſed ejus campi fertilitate eximii multum lucri adferunt colonis. Frumenta enim ſuppeditat Sabaudiæ & Helvetiis, aliquandoque Genuenſibus, quod niſi faceret, vili in Pedemontio vivi poſſet, ſed dicti vicini adeo magnam annonæ copiam inde petunt, ut ipſum Pedemontium penuria aliquando laboret, acciditq; ut frumenti ſaccus, qui ſcuto aut nummo aureo & ſemi venundari ſolebat, aut ad ſummum duobus, ſcutis aureisve nummis,

mis tribus, aliquandoque quatuor væneat. Pedemontio includitur Ducatus Augustæ, vulgo Duche d Aosta, dictus, continet is magnum arcium numerum & feudorum, quæ nobiles possident: singuli horum non magnis pollent divitiis, sed omnes simul magnas possident opes. In Pedemontio sunt quoq; territoria Vercellense, Canavense, Comitatus Nicææ. Suntque in eo septem civitates, Augusta nempe, quam ædificavit Augustus, ab eo nomen est adepta: munita haud est Augusta, sed pulchris valde muris cincta, secunda civitas Vercellæ dicitur, tertia Inurea, quarta appellatur Asta, quinta Mondevium, Nicea sexto loco numeratur, septima Taurinū, vulgo Turino nomen est, hæc Archiepiscopi sedes est, sæpeq; hic versatur Dux. In Pedemontio septingenta millia incolarum sunt, quorum numerus quotidie major fit. Hic populus haud vilis est, sed multi eorum strenui sunt milites, sed pauci artibus mechanicis incumbunt, nec eas magni faciunt, sufficere sibi putant victum & amictum, in eo imitantur nobiles, qui mercaturam haud exercent, quamvis commoditate, quam Padus fluvius eis offert mercaturam cum Mediolanensis Status incolis, multarum civitatum ad ripas Padi sitis exercere possent, imo & cum Venetis, sed hoc ipsi non curant, extraneos autem mercatura telæ, canabis, lanæ, & pauci serici magnas simul parare divitias concedunt; dici itaque posset, quod quidquid mercatores lucrantur, id eis à Pedemontanis dono dari, quod ipsi id sibi parare possent, si vellent, Pedemontani in id solum incumbunt, ut penuarium probe sit instructum, utque laute vivant, ipsiq; artifices mechaniciq; ferina carne, aliisque preciosis cibis vesci volunt; dici itaque potest, Pedemontanos quidquid habent insumere in luxum, Ducem id quidem male habet doletq; ipsū, quod magis industrii non sint, offertque ipsis modum exercendi mercaturam consequendique lucrum. Aquæ ductus fieri curat, omniaque tentat, ut somnum eis excutiat. In Pedemontanis industria requiritur, sed id obedientia erga suum Principem pensant, vitæ quoque innocentia: sunt enim adeo simplices mansuetique, partim naturali instinctu, partim timore fisci, ut amanter quieteque inter se vivant, raraque sint inter ipsos homicidia vulneraq;. Habet Dux plus minus viginti virorum millia selectorum, qui armis instructi sunt, nempe partim pectoralibus, partim sariissis sclopetisque; sunt divisi sub Capitaneis, qui alios superiores agnoscunt, ii vulgo Colonnelli dicuntur. Hi milites semper se exercent, fiuntq; eorum lustrationes certis tem-

poribus. In Pedemontio numerantur plus quam octingentæ arces, quæ nobilibus in Feudum sunt conceſſæ, feudatariorumque communi voce, plus minus septies mille esse dicitur, siquc ii præstarent quod debent tenenturq; facere esset Dux Sabaudiæ potens admodũ, is habet ordinarie tres triremes instructas. Reditus Ducis Sabaudiæ ordinarii extraordinariique accedunt ad quingenta aureorum millia, nempe vectigal salis 50000 telonium Susæ 24000 vectigal mercium exterarum 18000. Alia vectigalia cum eo, quod Villafrancæ solvitur, dicunt accedere ad 25000. Ordinarium antiquum cum eo quod Baliaggi accedit ad 70000. Taxa ordinaria Pedemontii, cum mutatione salis, ab alio montium latere, in vectigal ordinarium perpetuumque 263000. Confiscationes bonorum, condemnationes, augmentum subsidiorum, compositiones delictorum. Censuales qui vulgo Tagliabeli dicuntur, hi homines, de suis bonis disponere haut possunt, nisi pendant aliquam pecuniæ summam Duci pro ejus arbitrio, & tributum, quod pendunt Iudæi, & ex similibus rebus percipitur 50000 summa totalis est aureorum num. 500000 De expensis nihil certi dici posset, tamen hoc scitur in militiam impendi aureorum 10000. In aulam Ducis 60000. In Duciſſam 20000. In triremes 22000. Duci Nemorsio cognato Ducis, penduntur aureorũ millia 14. In Stipendia Officiariorum ab utroque Alpium latere, Senatum, Cameras Iudiciarias aliaque, impenduntur 90000. In Legatos & res extraordinarias insumuntur aureorum 16000. In Donativa 12000. In Viridarios & eos qui Duci sunt à pedibus 10000. Dux impendit in res ei gratas 10000. Summa harum impensarum accedit ad 380000 aureorum millia.

CAPVT XI.

DE MAGNO DUCE ETRURIÆ.

POssidet Magnus Dux, cum jam conjunxerit Status trium rerumpublicarum Florentinæ nempe, Pisaniæ & Senensis, provinciam Etruriæ, aut ejus partem majorem, nobiliorem pulchrioremque. Habet enim hic Princeps in suo Statu unito 15 civitates, in statu nempe Florentino & Pisano, Pistolam, Volatterram, Arezium, Burgum S. Sepulchri, & Montem Politiani. In Statu Senensi sunt 7. Civitates,

Sena

Sena nempe, Mons Alcinoi, Grossettum, Svvana, Pientia & Massa, quæ civitates omnes, excepta Sena & Pisa, populo satis frequentes sunt, sed posteriores duæ libertate diu gavisæ servitutis jugum ægre inviteque ferentes vacuæ fere derelictæ sunt, exemploque aliis sunt, quam durum sit iis inservire, cum quibus diu contenderis, sed huic malo Princeps singulari iudustria studioq, remediũ adferre studet, ipsasq; civibus frequentes reddere. Pisis nempe erecto studio, quod nunc ibi mediocriter floret, nomenque adeptum est per Italiam; fabricari quoque ibidem curat Princeps triremes, aliaque ad rem maritimam spectantia: jussit quoque ibidem habitare Equites Ordinis Sancti Stephani. Degitq; præterea Dux ibidem quotannis duobus aut tribus mensibus hibernis, procurat quoq; culturæ idoneas reddere multas paludes, ut aërem male sanum, purum sanumq; reddat. Cives deniq; Pisanos (quod summum est) multis oneribus liberat, eoque medio illos cives, qui patrios lares deseruerunt, allicit invitatque, ut redeant in patriam, quamvis sub jugum missam, sed quæ nunc à multis extremisq; malis liberata sit, videturq; hæc res succedere, potestq; Status Pisanus populo frequens dici, cum in eo Florentinoq;, sint plusquam octingenta animarum millia, & in Statu Senensi plus minus 600000 Populus hic omni arti exercitioque aptus est, docetque id abunde singularis splendor artium mechanicarum liberaliumque hujus provinciæ; industria in mercimoniis exercendis, strenuitas in armis, & ingenium multorum hujus regionis in bonis literis excellens. Fertilitate quoque gaudet hæc Provincia, seque abundare potest dicere omnibus rebus, quamvis territorium Florentinum frumento non abundet, habet ejus loco vini, cannabis aliarumque rerum necessaria in magnam copiam, præter eam quam habet Senensis ditio, cujus agri vulgo Maremme dicti, fertiles adeo sunt, ut Apuliæ agris haud cedant: nec ii (agri Senenses) solummodo supplent præstantque quod Florentia opus habet, sed etiam elargitur Genuensibus, Lucensibus aliisque vicinis regionibus. Etruria itaque sua fertilitate, inquilinorumque industria abundans, multumq; suarum rerum exteris impertita, ipsa paucarum rerum externarum indiga, magnas coacervat opes; eæ enim aut industria parantur, aut ex reditibus percipiuntur, qui multi magnique esse solent in regionibus fertilibus, sed in regionibus sterilibus florent artes mechanicæ mercaturaque. Cum a. Senensis ditio eximie fertilis sit, percipiunt ejus inquilini opimos

reditus negliguntq; mercaturam Senenſes, in ditione autem Florentina parant ſibi multi magnas opes mercatura induſtriaque; ſunt n. in ea civitate multi artifices, fiuntque in ea nobilia eximiaq; opera, in textrinis texuntur magna induſtria diligentiaque variæ res ex lana, ſerico & auro, nec ea in re cedit Florentia, Flandriæ: parantur hic quoque panni ex auro pulcherrimi, inprimis abundat Florentia iis, qui ſe exercent ſerico & lana, quod & faciunt nobiles ditioresque ejus civitatis cum honore & lucro ipſorum, totiusque populi; quod autem à Florentinis confectum eſt, non ſolum in ejus ditione venditur, ſed diſtribuitur per totam Italiam, imo per univerſam Europam, & in Indiam uſque, ubi mercatores merces valoris centum aureorum vendunt 150 aureis. Obſervatum fuit, uno anno Florentiæ confectos fuiſſe pannos, quos vulgo Raſtie vocant, valoris duorum millionum aureorum, ingens profecto ſumma. Civium Florentinorum opes multo majores fuerunt, cum libertate fruerentur, geſſerunt enim tunc grandia bella, impenderuntque multum in onera publica, in magnum palatiorum ſumptuoſorum numerum, expenſis permagnis, à privatis civibus, in civitate ædificatis, ſed adhuc majoribus extra civitatem, ſicut videtur in planicie & collibus circa urbem. Clerus quoque, Epiſcopatus nempe, Abbatiæ Præpoſituræ, Xenodochia ditiſſima ſunt, ſicut & multa Monaſteria, percipiuntque hi (ut fama fert) quotannis ex reditibus quingenta aureorum millia. Opes privatorum valde ditant Principis ærarium; facultates enim privatorum nihil ſunt quam Principis theſaurus in multorum ioculis diviſus, præcipue cum privatorum facultatibus uti poteſt Princeps, quod Magno Duci facile eſt, medio onerum, quæ in uſu ſunt Florentiæ. Ex dotibus percipit octo, pro unoquoque centenario tantundem ex venditione & emptione bonorum immobilium & domuum. Locatores domuum pendunt decimam pretij partem. Item inſtituentes certam ſummam pecuniæ (quæ vulgo La Spartola dicitur) Duci ſolvunt. Datium aut vectigal quoque penditur Duci, pro animalibus, quæ Florentiam ducuntur. Carnis pondere vendita libra pendit nummum vulgo dictum quattrino. Cambia pendunt certum quid pro centenario, ut abſolvam, omne quod Florentiam infertur, aut ibidem laboratur, habet ut dici ſolet, ſuam campanulam. Vtebatur Princeps, cum opus eſſet facultatibus ſuorum ſubditorum, modo qui ſequitur admodum facili; cum enim opus ei erant centum aut ducenta aureorum millia,

lia,

lia, conficiebatur catalogus eorum, quibus paratæ erant pecuniæ, eosque probe norat Princeps. Iisdem pecuniosis civibus imponebatur pecunia petita, sed exigebatur ab unoquoque, pecunia major aut minor secundum ejus facultates, sed ab uno nunquam ultra quinque nummum millia exigebantur. Facta divisione significabatur unicuique, quantum intra dies aliquos numerare deberet in depositorio, terminumq; præfixum numquam elabi sinebant cum timore pœnæ, tum ne Principis gratia favoreque excidерent. Qui pecuniam impositam numerarat, creditor inscribebatur pecuniæ numeratæ, quæ ei reddebatur post 28 menses, intra quod tempus in toto Principis statu pecunia ab eo petita colligebatur. Hac ratione utebatur Princeps cum opus esset facultatibus subditorum absq; eorum magno damno. Sed Magnus Dux, qui nunc ad clavum sedet cum pecuniis non egeat, adeo benignus magnanimusque est, ut mutuo det suam pecuniam aliis, tantum abest, ut suo populo gravis esse velit. Reditus publici ascendunt ad aureorum nummum millionem & semis; percipitur n. ex dat iis, vectigalibus aliisque oneribus summa aureorum sexcentorum millium : Sena numerat 150000. Telonium Liburni reddit 130000. Datium sive vectigalia rerum maritimarum per universum Statum, excepta Sena, ascendit ad 180000. Ex datio sive vectigali carnis, excepta Sena, percipiuntur 160000. Ex sale, minærisque ferri argentiq; tantundem, nempe 160000 Duci accrescit. Lucrum quoque percipit Magnus Dux ex deposititiis pecuniis, cujus magnam vim deponit apud mensarios. Rem item facit ex locatione duarum magnarum triremium, quæ merces alio deferunt. Fama fert ipsum magnam paratæ pecuniæ vim habere, putantque aliqui, ipsum in thesauro Magni Ducis mortui reperisse plus minus decem millionum, & in clenodiis valorem duorum millionum, potestque hoc colligi ex computando reditus & impensas, quas Magnus Dux mortuus fecit multis jam annis. Est itaque Magnus Dux Etruriæ tam sua qualitate, quam amplitudine Status numeroque populorum, pecuniaq; quam habet, pacis tempore colendus, belli autem magnifaciendus. Ejus Status potest dici Ferreus, præter enim naturalem fortitudinem montium qui ipsum à tribus lateribus cingunt tanquam muri, habet ad quartum latus multas validasque arces, nempe in ditione Senensi, in qua numerantur quinque civitates munitæ, Sena nempe, quæ & natura arteque munita est, sicut & mons Alcino, Grossetum & Sovana. Vltra

hæc

has civitates ſunt & aliæ arces alicujus momenti, Radicofanum nempe, Montefalco, Lucignanum, Montericcionum aliæque, ſed præterquam quod in earum forma aliquid deſideratur, nimis parvæ ſunt, nec multos defenſores capere poſſunt, nec iisdem ſeipſis tuendis ſubducendisque locus eſt. In Statu Florentino, civitates omnes quæ numero 7. ſunt, mediocriter munitæ dici poſſunt, (excepto Montepolitano) præcipua autem Florentia, quamvis undiquaq; muris ſicut nunc fiunt munita non ſit, ſunt in ea duæ arces, una Fanum Miniati, in colle ſita, ea univerſæ civitati imperat; altera arx planiciei dicitur, tempore libertatis ædificata. Ambæ arces, quamvis ædificatæ ſint, ut iis tanquam frenis populus coerceatur, neceſſitate tamen urgente iis ſe defendere poſſunt Florentini contra exteros hoſtes, ſed præterquam quod earum forma laudari non poſſit, nec ex iis hoſtes offendi queant, laborant etiam parvitate. In Fano Miniati habet Magnus Dux 40; in alia autem 100 Præſidiarios milites. In Statu Florentino, & Piſano, ſpectantur adhuc aliæ arces Empoli nempe, Pratum, Liburnum, Caſtrocarum in Romandiola & Saxum vulgo Saſſo, omnibus iis multæ res neceſſariæ deſunt, ſuntque omnes parvæ incapaceſque. Quod ad vires Magni Ducis attinet, primumque terreſtres habet Dux validam grandemque militiam peditum, in ſuo Statu conſcriptorum ad 30 millia uſque, vel ad 36 millia, ut ipſemet Dux faſſus eſt. Hæc militia egregie ſe habet, natura enim diſciplinæ militari aſſuevit, eſtque id proprium ei Provinciæ. Temporibus enim antiquis modernisq; egregios validosq; dedit milites, nunquam nō eos in arte militari exerceri curat diligenter Magnus Dux, utiturque in hoc negocio multis Cāpitaneis præclaris. Vnuſquiſque militum quoque ſtudet ſclopeta probe diſplodere, tam ſeipſum oblectando, quam præmiis à Principe allectus. Suppeditat hanc militiam Magni Ducis, ditio & civitates, excepta Florentia, quod forſan Magno Duci ſecurum non videatur arma populo Florentino in manus dare. Ex conſcriptione militum nemo excluditur præter Presbyteros & Scholaſticos, iisq; qui nomina militiæ non dedere haud permittitur arma ferre, nec in civitatibus nec extra ipſas, nullisque qui conſcripti non ſunt, ſtipendia mereri nec domi, nec extra apud alios, ſub pœnis graviſſimis permiſſum. Gaudent hi conſcripti milites multis privilegiis immunitatibusq;, propter debita incarcerari non poſſunt, ſicut alii, cumque hæc privilegia inviolabiliter obſerventur,

multi

multi veterani milites, belliſque in Etruria, Francia, regionibusque Orientalibus geſtis exercitati, huic militiæ Magni Ducis libenter dant nomina, habeturq; ea militia, cum propter numerum, tum propter militum virtutem ex præcipuis Italiæ: unuſquiſque eorum tenetur arma ipſi à Magno Duce uſui data conſervare, nitidaque ſervare, ut iis neceſſitate urgente poſſit uti abſque Magni Ducis diſpendio. Militiam hanc poteſt Magnus Dux intra 6 aut 8 dies congregare adunareque in civitate Florentia, cum quod ea ſit in meditullio Etruriæ, & tanquam centrum ditionum Magni Ducis, æqualiter vicina omnibus ejus partibus, tum propter commodum modum, regulam ſummamque facilitatem, qua hoc fieri poteſt. Eſt præterea alia deſcriptio, qua continetur foſſorum magnus numerus, his utitur Magnus Dux, etiam pacis tempore, in ædificandis arcibus, ducendis fluminibus, meliorandiſque agris, cui negocio magna diligentia incumbebat Magni Ducis pater. Equites centum inſtructos ordinarie habet apud ſe Magnus Dux, datque eorum cuique pacis tempore ſeptem aureos menſtruatim, belli autem tempore ordinarium ſtipendium; præter hos ſunt quadringenti equites, levioris armaturæ quibus menſtruatim numerat 3 aureos pacis tempore, cum autem viget bellum recipiunt ordinarium quoque ſtipendium. Hi equitatus conſcribuntur in Magni Ducis ditionibus, ultraque ſtipendium gaudent multis immunitatibus realibus & perſonalibus, evaduntque ſtrenui milites. Quando egreditur ex Algerio magna Pyratarum manus ad depredandum, non plene fidit Magnus Dux præſidiariis militibus, in turres ad id ſtructas diſtributis, quæque ſibi invicem ſigna faciunt, ſed turres ſecuras reddit equitibus, eoſque ipſis turribus. Præter hunc equitatum habet adhuc unam turmam equitum Magnus Dux. Hæ ſunt ordinariæ vires Magni Ducis, ſed is extraordinariè multo plus virium ſibi parare poteſt; ejus enim ditio populoſa numeroque ſupradicto referta eſt. Exterorum autem militum talem numerum conſcribere poteſt, qui ſufficiat, eiſque ſtipendium ſicut alii Principes erogare. Dux Coſmus, multam curam rei maritimæ impendit ſciens quod in ea caput rerum ſitum ſit, quodque ille Princeps Magnus haud dici poſſit, qui mari potens non ſit, motus itaque his rationibus inſtigatusque à ſuis propriis deliberationibus, quæ ad majora ſemper aſpirabant procuravit, obtinuitque per Carolum V. à Domino Plumbini, ut is ſibi cederet inſulam Ieram ſive Elbam ei ſubditam,

tam, quod is (Dominus Plumbini) eam adversus Pyratas tueri non posset (erat enim ab iis vastata) poteratque ea insula, si segniter defenderetur, occupari à Turcis, quod si accidisset, magnam calamitatem damnumque toti Italiæ adferre potuisset, propter insulæ Elbæ situm, cujus reditus tamen gubernatioque villarum locorumque muris carentium Domino Plumbini manserunt. Est in hac insula Portus Ferratus, vulgo Porto Ferraro dictus, magnæ cujuscumque classis capax, huc tanquam loco securo appellunt fere omnes naves ex Occidente venientes, quæ deinde rendunt Liburnum, ibique merces magno Principis commodo deponunt. Si insula Elba in alicujus potestate esset, qui numerum sufficientem triremium haberet, aliisque vellet damnum inferre, is facile maritimas regiones superiores Barbariam, inferioresque, Provinciam, Liguriam Etruriamque infestando, sibi dominium ejus maris parare posset, ita ut nemini liceret, eo in mari navigare, quam cui id permitteret. Possidet Magnus Dux in hac insula parvam Turrim, quam ejus pater, à suo nomine dixit, Cosmopolim, suntque ad custodiam Portus in ipsius ore, in apice duorum montium duæ arces, quæ cum nunc sint perfectæ, habentur pro munitis & fere inexpugnabilibus, cum situ tum artificio. In iis sunt multa tormenta bellica, omneque munitionis bellicæ genus, ibi quoque est Navale Magni Ducis, in eoque magna abundantia lignorum, Fregolo, Cannabis aliæque materiæ ædificiis idoneæ, possentque ibi armari multæ triremes. In territorio Pisano est magna abundantia dictarum rerum, parantque ea cives Pisani sibi nomen augentque rem familiarem : in hoc Navali parum laboratur plusque naves reficiunt, quam novas parant. Est adhuc aliud Navale Magni Ducis in insula Elba, ubi sunt ejus triremes, opificumque, qui in eo operas faciunt, pars maxima est naturalium in ditione Magni Ducis aut sunt exules, aut allecti lucro. Habet Dux 12 triremes nempe, 8 instructas, duas autem nondum paratas. Prætereaque tres naves vulgo Galeasses dictas, quæ mare sulcarunt, præter adhuc duas, quæ nondum sunt navigationi idoneæ. Vt militiæ maritimæ vires, majoremque reputationem pararet Magnus Dux Cosmus, instituit Ordinem Equitum Sancti Stephani, obtinuitque à Pontifice Pio V multa Privilegia, licentiamque percipiendi pensionem supra bona ecclesiastica ad ducentos aureos usque, possuntque ii equites uxorem ducere, sed in classe militare debent, nec possunt frui commendis bene-

beneficiisque Ordinis, nisi in triremibus per annos tres militaverint. Vt huic Ordini nomen dignitatemque pararet, Magnus Dux, ejus Magister esse voluit, inque id officium successit ejus filius, distribuitque majora officia, inter suos ministros præcipuos. Militiæ terrestri maritimæque ut vigeat, præfecit Dux multos præclaros Capitaneos militaresque viros Italiæ, largiturque eis opima stipendia, instrumentis bellicis probe instructus est Magnus Dux, suntque eorum in arce Florentina plus minus 150 nempe tormenta campestria, suntque ejus arces probe instructæ, præcipuè eæ quæ sunt in Elba. In arce Florentina est magna vis pulveris pirii, globorum, rerumque victui necessariarum, nempe frumenti, milii, carnis salatæ, aceti, casei & similium.

CAPVT XII.

DE

DUCIBUS FLORENTINIS.

ALexander, Furtivo Laurentii Medicei, Urbini Ducis, cum materna ancilla congressu editus, ab avia Alfonsina tenui cultu educatus, viro Leone X Pont. Rom. patruo magno, in subsidium pereuntis stirpis receptus est. Clemente autem Pontifice Cæsareanis armis capto, à Florentinis deficientibus Medicea domo exturbatus, aliquamdiu in subalpino agro ad Taurinum exulavit inops, donec à Florentinis perdomitis, vetereque exutis libertate, collato Principis titulo, est præfectus. Qui dominatus brevem ipsi atque turpissimum exitum tulit, quippe qui ab agnato & æquali Laurentio Medice, in ædes ipsius & cubiculum perductus, ab eo laudem liberatæ à Tyranno patriæ affectante, nocte alte stertens, nefarie gladio per coxas adacto est transfossus Año 1573. Vxor Margareta, filia Imp. Caroli V ex adamata puella. Nupta exinde fuit Margareta, Octavio Farnesio Parmæ & Placentiæ Duci.

Cosmus, Ioannis Medices, Bellatoris eximii filius, secundus Dux Florentiæ interfecto Alexandro à 48 viris creatus. Arcem maximæ molis, in urbe Florentia construxit, præsidiisque firmavit, justitiæque laude Rempubl. administravit. Senarum urbem Imperialem, ob ejectum præsidium Hispanorum, obsessam, cum amplissimo territorio, Galliarum Regis copiis à Marchione Marignano profligatis, in su-

am potestatem redegit, Anno 1555 à Pio V Pontif. Rom. in Magnum Ducem Hetruriæ creatus est An. 1569 quod ipsi magnam auri summam, ad rebelles domandos submini strasset, inter vivos esse desiit, Anno 1574 ætatis suæ 55.

Franciscus Magnus Dux Hetruriæ Secundus, patri in gubernatione successit. Obiit A. 1587 morte subitanea, nec sine veneni suspicione. Vxor prima Ioanna, Soror Imp. Maximiliani II. Secunda Blanca Castellana Veneta, mortua quinque horis post maritum.

Ferdinandus Magnus Dux Hetruriæ Tertius, Dux Florentiæ Quartus, ex Cardinale; hunc enim Pius V Pont. R. in cæsi fratris Ioannis Cardinalis creati locum, & patris merentis solatium Ao. 1561 ætatis suæ 13 galero Cardinalitio donavit. Fratri Francisco III subitanea morte extincto in gubernatione successit. Symbola ei asscribuntur. 1. Crux, cujus latera sunt, acuminatis cordibus similia, in superiori parte coronata, circa quam quinque globuli, Medicæorum insigne, supra his vero galerus Cardinalitius, è quo ad utrumque latus Cardinalitia pendent ligamenta, cum inscript. à Domino factum est illud. 2. Navis mari commissa, & à vento impulsa, cum inscript. Prospero motu uxor Christina, filia Caroli III Ducis Lotharingiæ.

CAPVT XIII.

DE DUCIBUS URBINI.

IOannes Franciscus Gonzaga patri Io. Francisco, Domino Mantuæ successit. A Sigismundo Cæsare Mantuæ in magnificentissimo Tribunali in foro D. Petri primus Marchio creatus, Anno à Christo nato 1433 concessis ipsi insignibus Aquilæ nigræ, albo in campo, cum cruce rubente. Obiit rerum gestarum gloria clarus, principatu inter filios diviso Anno 1444.

Ludovico Gonzagæ, pater Ioannes moriturus Mantuam Macheriam, Goitum, omniaq; ad Veronam sita tribuit. Patre vivo Piccinio & Mediolanensibus militavit contra Venetos, à quibus captus lytram persolvit. Cum fratre Carolo diu dimicavit, ad extremum tamen victor. Fridericum III Imp. & Christianum I Daniæ Regem hospitio splendidissime excepit Ao. 1469 in urbe multa ædificavit magnifice:

Ædis

Ædis D. Sebastiani fundamenta jecit: templi S. Andreæ horologium absolvit absolutissimum. Fato concessit Anno 1478.

Federicus Mantuæ Marchio Tertius, bello & pace multa sapienter egregieque gessit. In cives suos tanta fuit benevolentia, ut re sua familiari pecuniaq; mutua præter ullam compendii fructusve spem eos juvaret: plurimas in urbe artes opificiaque exerceri voluit; desidiam & otia ante omnia detestatus: ingenia suorum temporum humanitate, liberalitate, gratiaque summe fovit. Hospites præcipuis honoribus habuit. Obiit Anno 1484.

Franciscus secundum fata patris Frederici principatus insignia cepit Anno 1484 primus omnium Italiæ Principum barbam perpetuo aluit. Disciplinæ militari studiosissime vacavit; quapropter non apud Italiæ solum magnates summum existimationis gradum tenuit, sed etiam apud Maximilianum I Imp. & Ludovicum XII Regem Francorum; à Venetis item ob illustrem animi magnitudinem, & immensum pugnacis ingenii ardorem, delectus Imperator gemino bello victor extitit cum insigni gloria. Cæterum vir prædicatur bonus, & dexter, erga suos milites liberalis, erga hospites magnificus, erga civitates amans. Post insignem rerum egregie bello gestarum gloriam supremum diem finiit Anno Christi 1519.

Federicus Marchio Mantuanus Quintus 3. Non. Aprilis A. Christi 1519 solenni ritu sceptrum Imperii sumsit in porta templi Cathedralis, nulla re patri inferior, commendatione militaris virtutis fuit; quamobrem cum à Leone X. Pont. R. tum à Florentinis, copiarum præfectus, ætate adhuc prima est constitutus Carolum V. Imp. postquam Augustalem coronam à Clemente VII Pontif. Rom. Bononiæ sumserat, splendidissime hospitio excepit; à quo in Ducem Mantuæ electus, insequenti anno, qui fuit 1531 uxorem duxit Margaretam Gulielmi Paleologi Montisferrati Marchionis filiam, cum dote illius Marchionatus: Obiit Anno 1540.

Franciscus Dux Mantuæ & Marchio Montisferrati Secundus puer septennis solennia principatus cepit, sub tutela patrui sui Herculis Cardinalis. Non multo post nuptias cum Catharina Ferdinandi Imp. filia celebratas, quum fortuito in Mintium fluvium incidisset, ab cordis syncope febrem continuo contraxit, quæ eum brevi consumsit, Anno Christi 1550.

Gulielmus sacris initiatus Francisci fratri successit in utroque:

Mantuæ & Montisferrati principatu à Maximiliano II. Imp. in Ducem Montisferrati est investitus, & magnis privilegiis donatus Anno Christi 1573. Obiit Anno 1587.
Vincentius post patris Gulielmi fata rerum gubernacula suscepit.

1. Ottone vel Odone Antoni Vrbini & Monfeltrii Principe, ob libidines, in quasvis matronas, præsertim virginem nobilem, populari furore trucidato, succesit in gubernatione Fridericus vir prudens, facundus, literatus, in Mathematicis disciplinis excellens, & ingeniorum amator, bello felix, pace clarus, apud Italiæ Principes honoratus, à suis dilectus, Vrbinum splendidis ædificiis exornavit, præcipue sumtuosa illa domo, cum Bibliotheca magnifice instructa, quam ingenti multitudine voluminum optimorum, auro, argento, serico mirifice opertorum ornatorumque, replevit, à Sixtto IV. PP. Dux Vrbini primus renunciatus est, educatus à socero in omnibus artibus liberalibus usque ad 11 ætatis annum, quo Mantuam missus, per biennium literis incubuit honestis sub Victorino Feltrio, à Sigismundo Imp. Eques Auratus creatus est. Variis in bellis feliciter rem gesit, generalis Florentinorum contra Alfonsum Regem Neapolitanum Anno 1447 constituitur. In ludicro certamine equestri oculum amisit dextrum Anno 1450. Senis obiit Anno 1452. pacem cum Malatesta fecit Anno 1459. Pio II PP. pacem componente & Forum Sempronii prelio 11000 aureorum nummum ab eodem Galeatio Malatesta emit. In bello quod Veneti adversus Herculem Estensem Ferrariæ Ducem gesserunt, Padana laura insalubri febrim concepit, qua extinctus est Ferrariæ Anno 1482 ætatis 60. Corpus Vrbinum portatum, & in S. Bernardini monasterio, quod extra urbem ædificaverat, sepultum est. Symbolum ejus fuit, tria ferramenta, ex quibus ignis excutitur trigonice posita, & in medio Silex cum inscrip. Non quodvis tero.

2. Guido Vbaldus vel Guido Baldus Ducis Friderici filius, Dux Vrbini secundus fuit. Educatus in disciplina Ludovici Odifii Paduani, sub quo in literis Græcis & Latinis plurimum profecit. Patre defuncto militiam sequutus est, inserviitque Innocentio VIII PP. contra Ferdinandum Neapolitanum Regem. Civitates rebelles in obedientiam reduxit. Florentinis contra Pisanos militavit & horum Rempubl. prorsus evertit, Dux copiarum Alexandri VI. PP. adversus Vrsinos in hostium potestatem, amisso exercitu venit Anno 1497

Postea

Postea à Cæsare Borgia circumventus, vim ejus & carcerem vix evasit. Anno 1501 mox Paulo Vrsino Gravinæ Duce, Vitellocio & Oliveroto Firmiano ad Senegalliam captis, profugere coactus, sed Alexandro VI. PP. mortuo, rediens, summa omnium voluntate & lætitia receptus est. Iulio II. PP. gratus. Reliqua vita tranquille acta moritur Ἄτεκνος Fossonbronæ Anno 1508 sepultus juxta patrem, cum adoptasset Franciscum Mariam, nepotem ex sorore Ioanna, Princeps & moribus, & virtutibus & litteris præstans. Elephante cingulo ligato, multisq; muscis infestato pro Symbolo usus est, cũ inscr. Virtus unita.

3. Franciscus Maria Roboreus natus A. C. 1491 adoptatus in familiam Monfeltriam, Feltrii cognomen accepit, & Dux Vrbini III à Guidone Baldo affine & antecessore designatus est. Patri in Soræ, Senegalliæque principatu successit. Iulii II. PP. patrui copias duxit, sed à Ioan. Iacobo Trivultio fusus est. Alidosium Cardinalem, apud Ravennam trucidavit, quod Bentivolis Bononiam reddidisset. Reconciliatus patruo Pontifici Iulio II cum Galliæ Regis Ludovici XII partes sequi in animo haberet, Pisauri Principatu donatur Ao. 1512. 12. Febr. cujus possessionem accepit Ao. 1513. A Leone X. PP. tota Vmbria ac Pisauro pulsus, Vrbini Ducatum amisit, quem PP. dedit Laurentio Medici. Exercitu itaque collecto, qui confecto bello Veneto, à Gallicis Ducibus dimittebatur, magnum terrorem Pontifici & Florentinis incussit, verum desertus à suis nihil effecit, sed ad Lotrechium se convertit. Leone X. PP. defuncto Vmbriam, & Ducatum Vrbini, ut legitimus hæres recepit, auxilio Hispani Ao. 1517 & Imperator Veneti exercitus factus, cunctando hostes, ut prudens princeps vicit, Paviam eis recepit Ao. 1528 multas civitates ad dandum tributum coegit. A Paulo III. PP. afflictus est, ob Camerini negocia, quam civitatem ratione nurus suæ possedit. Sapientissimus & gravissimus Capitaneus, comparandus etiam cum quovis ex antiquoribus, à Carolo V dilectus, veneno ab inimicis necatur Pisauri, A. 1538 sepultus Vrbini in templo S. Claræ Symbolo usus, Olea, cum inscr. Se sibi.

4. Guidobaldus II. Roboreus vel Monfeltrius, patri Francisco Duci successit, Dux Vrbini IV. Pisauri Dynasta, Soræ & Senogalliæ Dominus, Literatus & Musicus celebris, judicio & in Architectura insignis, bella plurima sedavit. Capitaneus generalis vel Imperator totius exercitus à Iulio III. PP. creatus, cum bellum in Hetruria arderet, Ao. 1553 quo in officio & dignitate serviit etiam Venetis ac Philippo

Regi

Regi Hiſpaniarum. A Carolo V. Eques Ordinis Aurei Velleris creatus. Corruptus à miniſtris malignis, ſubditos inprimis Vrbinates & Eugubianos exactionibus onerauit, ideoq; in odium populi incidens tumultum ejus expertus eſt, & melancholia gravatus in febrim quartanam incidit, qua menſe integro laborans, moritur in Piſauro Anno 1578 ſepultus in monaſterio Corporis Chriſti, Symbolum ejus fuit, Pyramides tres ordine caveæ quadratæ impoſitæ.

5. Franciſcus Maria II Roboreus vel Monteltrius Dux Vrbini V. natus A. 1549 Hiſpaniam in juventute adiit, & vixit in aula Regis Philippi, unde rediens in patriam A. 1571 Capitaneus claſſis contra Turcas factus, interfuit prælio ad Echinades geſto. Gubernationem Vrbini Ducatus accepit A. 1574 Princeps humanus, literarum ſtuioſus, in Mathematicis, Theologicis ac Philoſophicis rebus excellens. Bibliothecam ſibi collegit copioſiſſimam & inſtructiſſimam. Symbolo utitur: Leone erecto, qui dextero pede anteriore tenet gladium, cum inſcr. Non deeſt generoſo in pectore virtus 2. Palma, cujus altera pars lapide premitur, cum inſcr. Inclinata reſurgo. Vxor Lucretia Eſcenſis, filia Herculis II Ducis Ferrariæ, quæ pro Symbolo utitur Palma ad littus maris poſita, in quam flat ventus, cum inſcr. Vti creſcit. Poſſidet Dux Vrbini 7 civitates & plus quam 300 Caſtella, civitatum nomina ſunt, Vrbinum, Eugubium, Caglium, Foſſembrona, hæ ſunt Ducatus Vrbini, Fanum Leonis caput eſt Comitatus Monfeltrii, Sinigalia & Piſaurum. Dominium Ducis Vrbini eſt admodum fertile, floridum, omnibusq; ad vitam commode tranſigendam abundans, bona ejus Dominii pars, ſita eſt ad mare Adriaticum, quod adprime oportunum commodumq; eſt invectioni rerum omnium, quæ undequaque facile fieri poteſt, poſſuntque multa inde commode evehi deferriq; ad alia loca. Extenditur hoc Dominium in longitudinem 60 miliaria, in latitudinem 35 1 conterminum imo inſertum eſt ditioni Eccleſiæ Romanæ, cujus Vrbini Dux Feudatarius eſt, attingit quoque Dominium Ducis Vrbini, fines Florentinorum, ſolvitq; Dux Vrbini quotannis Romano Pontifici pro cenſu recognitione neque aureorum 2200. Reditus Ducis Vrbini quos percipit ex bonis hæreditariis Gabellis aliisq; proventibus æſtimantur accedere ad centum aureorum millia quotannis, & ſi vellet Dux ſuis ſubditis imperare multo majorem pecuniarum ſummam ab ipſis poſſet conſequi, ſed ipſe inſiſtens veſtigiis ſuorum anteceſſorum, volensque à ſubditis amari, eos non gravat inſuetis oneribus, mavultq; minus pecuniarum poſſidere.

CAPVT

CAPVT XIV.

De

VENETORUM CIVITATE.

VEnetorum Civitas in intimo Sinu maris Adriatici eſt, adeoque longe diſtat à continenti, ut inde ei nihil timendum ſit, ſicut nec ab improviſo impetu, quantumvis magnæ claſſis, quod in medio amplorum æſtuariorum ſita ſit, quæ plus minus ducentorum milliarium ſpacio eam circumdant. Ad commoditates quod attinet, eas permagnas videmus, ſi ſanis oculis eas conſiderabimus. Dominium enim obtinet dicti maris, quo civitati Venetorum ſecure magnaque abundantia advehuntur omnia, ad vitam humanam neceſſaria, ſicut & ex continenti, civitatibusque circumſitis haud paucis, nec debilibus, quæ omnes ſitæ ſunt in ditione Venetorum; quamvis autem dici poſſit in civitate Venetorum nihil naſci, adeo magna tamen rerum omnium copia ibi videtur, venditurque precio mediocri, ut creditu difficile ſit. Dictu haud facile eſt, quanta commoditate Canalium infinitorum, qui hic ſunt, multitudine permagna cymbarum (Gondole vulgo dicuntur) agilium pulcherrimarumque, undique per civitatem perveniri poſſit. Sed ei, qui æri parcere vult, per pontes (quorum numerus hic infinitus eſt) ex lapidibus ſtructos tendere quo vult, facile eſt, hæc res profecto commoda valde eſt tam divitibus quam tenuioris fortunæ hominibus. Si pulchritudo Venetiarum ſpectetur, non ſolum inter alias Italiæ civitates pulchra ſed admiranda judicabitur, cum ob frequentiam Palatiorum regium potius faſtum, quam civilem mediocritatem referentium, tum propter multitudinem templorum. Adornant quoque Venetias pontes nobiles, fora ampla, plurimæque mercatorum tabernæ precioſiſſimis mercibus refertæ, quæ in pulcherrima hac civitate cum ingenti admiratione ſpectantur. Hæc de internis Venetiarum mirandis dicta ſint. Externa autem earum ſunt, regna, civitates, oppida, arcesque quibus dominantur Veneti, vires terreſtres maritimæque validiſſimæ, reditus permagni, admiranda ratio regendi Rempublicam, fœderaque cum aliis orbis Principibus pacta. Incipiendo itaq; ab uno capite, dicimus, Venetos poſſidere in Lombardia & Marchia Tarviſina 7 magnas, divites, populoque frequentes civitates, præter multa magna oppida,

multasque arces. Civitates sunt Bergomum, Crema, Brixia, Verona, Vicentia, Patavium, Tarvisiũ, quæ omnes sunt munitissimæ, excepta Vicentia, quæ quod in medio aliarum sita sit, extra periculum est. Verona autem Bresciaq; haud expugnari posse existimantur. Oppida Venetorum sunt Bassanum, Castellum Francum in Marchia, aliaque brevitatis gratia prætermissa. Arces munitæ sunt Orci Novi, Asola in territorio Brixiæ, Peschiera & Lignago; possident præterea Veneti in Lombardia, Polesinum de Rovigo, in quo multa oppida perlauta sunt. Extra Lombardiam, sed in Italia septentrionem versus possident Veneti fere universum Forum Iulii (vulgo Friaul & Friul dictum) quod ultima est Provincia Italiæ ab eo latere. In Foro Iulii nullus munitus locus est præter arcem Maranum nomine inter Stagna & Æstnaria sitam circa mare, sed ea adprime valida est, quod fere à continenti sit separata, excepta ab una parte, quæ mediocri militum manu facile posset defendi. Est ibi quoque arx Osopo dicta, prævalida, sub monte sita. Posset hæc arx, vel maximo exercitui qui hoc tritissimo itinere in Italia penetrare vellet, transitum præcludere; aliis autem itineribus duci non possunt tormenta bellica; in eadem quoque Provincia est Vtinum vulgo Vdene civitas, sed debilis, in causa est ejus territorium fortificationi haud idoneũ. In Istria dominantur Veneti multis civitatibus, sed populo infrequentes debilesque sunt, excepta ea, quæ Caput Istriæ dicitur. Dominium quoq; obtinent Veneti fluviorum omnium Insularumque Dalmatiæ & Sclavoniæ, in quibus sunt aliquæ civitates, aliquotque arces, Zara nempe & Catarum: sed civitates Dalmatiæ fortificare non est opus; exercitibus enim, terrestri itinere, ad eas penetrari haud potest, excursiones quidem fieri possunt, sed parvi momenti, iisque potest facile obviam iri, montes enim ibi sunt asperrimi, itineraq; admodum angusta. Ad rempubl. Venetam spectat in mari Adriatico insula Corcyra in mari Adriatico cũ munitissima arce, estq; hæc insula clavis aut Ostium Sinus, potest mediocri classi ingressum præcludere, eoque arcere magnam, validamque classem. Possidet præterea Venetorum respubl. insulam Cephalonie, Zacynthum, Cytharam & Lucerigo, & in Archipelago Insulam Zartam. Ejus est quoq; nobilis insula Creta vulgo Candia, quæ in circuitu habet milliaria septingenta, suntque in ea 4 civitates, Candia nempe, (unde universa insula nomen mutuatur) Canea, Rethimum, & Scithia; quarum duæ primæ sunt munitis-

simæ,

simæ,tam situ,quam arte; aliæ situ tantum fortes dici possunt; dignitate Ducali eminet hæc insula,estque civitas Candia Metropolis, incoliturque quamplurimis nobilibus Venetis, multique ipsorum in ea nati sunt;est quoque in hac insula satis egregium Navale. Vt concludatur,insula hæc adeo magna est fertilisque,vini præcipue,ut pro parvo regno haberi possit. Hi sunt status, dictæ illustrissimæ reipub. subditi,ex quibus percipit(ut ad ejus redituum censuumque enarrationem veniamus) duos aureorum nummum milliones quotannis, pacis tempore nempe,colliguntur; ii reditus eo qui sequitur modo; ex civitatibus in Italia, supra nominatis percipit octingenta millia, cujus summæ Brixia & Bergomum ter centum millia solvunt. In Venetiarum civitate colliguntur ex datiis & vectigalibus septingenta millia nummum aureorum, solum enim vectigal vini locatur 130 aureorum millia quotannis, percipiuntur quoque pecuniæ ex decimis taxisque, nobilibus, mercatoribus populoque civitatis Venetiarum impositis; reliqua quingenta millia, dictorum duorum millium, percipiuntur ex sale,qui fit multis locis ad mare sitis, ex datiis quoq; vectigalibus & subsidio, quod civitates maritimæ reipubl. elargiuntur. Volunt aliqui hanc rempub. percepisse ex regno Cypri,quingenta aureorum nummum millia, habeturq; pro re certa rempubl,eandem pecuniarum summam,aliis mediis à subditis consequi. Tanti taleſque sunt reditus ordinarii reipubl. Venetæ,cui accidit quod & aliis Principibus Christianis,paucis exceptis, evenire solet, nempe, quod ii reditus, in expensas ordinarias erogantur, in militiam scilicet, classes,in fortificationem civitatum arciumque,quæ ea opus habent, in salaria Magistratuum, & Officiarios civitatum, nec aliquid superesse creditur; si autem aliquid supereſſet eo solverentur, antiqua debita, ultimis bellis contracta. Quamvis autem ordinarii reditus, in ordinarias expensas,quæ pacis tempore fiunt, erogentur,inde tamen inferri non potest,hanc rempubl.non esse adprime potentem,ii enim Principes respublicæque aliis sunt potentiores, quæ plures modos extraordiuarie pecunias colligendi habent,talium modorum mediorumque hæc respub. prædives dici potest, plusque minore cum timore periculoque, à suis subditis potest consequi extraordinarie, quam alii Principes à suis populis; quando enim accidit, ut resp. bellum sibi illatum iri putat, aut classem præter ordinariam instruere vult, quamvis pax vigeat, facit id quando Turcus magnam

classem emisit, tunc respub. modis extraordinariis pecunias colligendi utitur, sunt ii modi multi diversorumque generum, qui tamen possunt ad tres modos reduci. Primus est multiplicatio decimarum, nobilibus impositarum, civibus quoque qui ex bonis stabilibus reditus percipiunt; multiplicantur autem decimæ hoc modo, quod loco unius, quæ quotannis pendi solebat, penduntur duæ aut tres, pro voluntate Senatus quod & fit, cum duplicatur taxa à Senatu mercatoribus indicta, secundum valorem mercium, soletque ea taxa accedere ad decimam lucri ipsorum partem, quam etiam pendunt nobiles, civesque ditiores. Primo huic modo includitur alius census, qui populo indicitur, quando præter ordinarium instruitur classis; omnia enim opificia certum hominum numerum reip. commodo solvere debent, facile respub. itaque primum hoc colligendi pecunias modo, uti potest, solvuntque omnes libenter, patriæque ferunt auxilium. Si hic modus non sufficit, tunc respub. secundo utitur, is est, ut nobilibus officiariis per aliquot tempus nihil detur, edicitque præterea, ut officia honoratissima, quæ nobilibus meritorum ergo dari solebant, venundentur, non autem in perpetuum, nec plus offerenti, potius enim quam ea officia indigno conferrent, ei qui minus obtulisset traderent, si is virtute præstaret. Hoc modo collegit Senatus dimidiam millionem tempore belli, quod reipub. Venetæ exiguam sane ob causam ab omnibus Christiani orbis Principibus illatum fuit ex fœdere Cameraci inito. Est præterea alius colligendi pecunias modus, qui depositum concilii dicitur, estque hujusmodi: junioribus, quibus concilii ingressus est interdictus, id mediante pecunia conceditur, admittunturque ii ad functiones officiorum. Tertio modo ad colligendam pecuniam utitur Senatus Venetus, quando resp. maxima necessitate urgente cogitur pecunias à privatis personis mutuas sumere, quas cum via benevola nanciscì non potest rapit eas vi vendendo mobilia, aut immobilia civium si necesse est; quamvis autem id fiat, haud inde oritur tumultus generalis aut alicujus momenti, qui posset fieri apud alios subditos; pro exemplo sit: si Senatus statuisset, ut tertia pars honorum omnium privatorum civium hastæ subjiceretur, fieret universæ venditionis summa, cujus resp. se debitricem inscribit privatorum civium, quibus promittit Senatus solvere res ablatas, post aliquem annorum lapsum, finito bello, solvit pro usura aliquid certi quotannis, nempe duo pro centenario, satisfitque

atque creditoribus intra annos 30. solvit itaq; hoc modo respub. debita antiquiora. Dicuntur hi vulgo Prodi monte, vecchio. Solvit quoque respubl. aliis 5 qro centenario quotannis; diciturq; hoc vulgo Monte nuovo etiam Monte di suffidio, usuras has solvit resp. respectu debitorum primis, recentiorum, aut solvit amplius; promittitque civibus brevi reddere creditum, vocatur hic Monte novissimo. Solvuntur itaque facile debita 25 aut 30 annorum spacio, si nullum sit bellum, quod, quantum potest fugit respub. quæ etiam solet pecunias deposititias, (ipsi dicunt in Zecca) recipere solvitque iis qui eam deponere voluerunt octo pro centenario, sed solum pro annis 18 præter hoc multa bona immobilia publici juris Sorti, vulgo Lotto dictæ exposuit, quæ schedis ex olla, publice, præsentibus Senatoribus extrahuntur. Tales tantique sunt modi mediaq; colligendi pecunias, quibus respub. usa est bellis ante gestis, poteritque sequenti tempore iis uti: potest quoque respub. augere datia vectigaliaque mercium, pro Senatus beneplacito. Vt concludatur; habet respubl. infinitos consequendi pecuniam absque tumultu modos à nobilibus, civibus populoque, imo necessitate urgente multi nobiles mercatoresque sua sponte, sequentes exemplum Principis reipub. dederunt magnam pecuniarum vim, eorumque aliqui dederunt uxorum cymelia, considerantes afflictam remp. iis plus egere quam uxores ut se iis ornarent, nec solum privatæ personæ civitatis Venetiarum reipub. pecuniis subuenerunt, verum etiam civitates Venetis subditæ idem fecerunt, pro ipsorum facultatibus, ultra vectigalia summamque pecuniarum, haud exiguam ipsis impositam: præcipueque regni Cypri cum adhuc Venetis pareret, miserunt reipub. ut tanto citius fortificatio civitatis Nicosiæ absolveretur centum aureorum millia, unde facile judicari potest ingruente necessitate, plus daturos fuisse, omnes enim generaliterque amant mansuetum leneq; Imperium hujus reipnb. laudantq; administrationem justitiæ, quæ pauperibus æque ac ditioribus incorrupte administratur. Est itaq; in hac magnifica civitate tritum proverbium, non multum referre, si publicæ pecuniæ exiguæ sint, modo privati divitiis abundent, potest enim resp. facile ab iis consequi pecunias. Ad militiam reipub. Venetæ quod attinet, cum Senatus Veneti scopus sit cavere ne offendi possint, nec causa sit, quare alicui ipsorum ditionis parti timere debeant, ædificarunt tamen, ædificant, ædificabuntq; multa fortalitia, ut

ſuæ ditiones ſecuriores ſint; earumque numerus generaliter loquendo adeo magnus eſt, ut nullus alius Princeps, aut potens Dynaſta ſit, qui tot, tam perfecta tantique momenti poſſideat. Sunt enim reipub. fortalitia permagnis aggeribus intrinſecus inſtructa, ſicut & muris præter modum pulchris, propugnaculis validis, vallis quæ vulgo Cavailleri dicuntur probe ſtructis foſſisque (ut decet) profundis ampliſque; multæ quoque civitates validiſſimæ habentur propter aquam, quæ ipſis adimi alioque derivari haud poteſt, aut ſaltem niſi valde difficulter, ſicut ſunt Tarviſium, Lignago & Crema; aliquarum circuitus adeo amplus eſt, planicieſque tam larga, ut non queant niſi ab innumerabili exercitu obſideri: tales ſunt Patavium & Verona; in aliis ſunt arces aut fortalitia, quæ civitatibus adeo imperant, ut ſi caperentur, iis facile poſſent recipi, quod videtur Brixiæ, Bergomi & Veronæ. Dominantur præterea Veneti infinitis locis ſecundum maris littus ſitis, quibus facile poſſet ferri auxilium, quod reſp. mari multum valeat, nec poſſunt dictæ civitates à latere, ubi continenti junguntur, bellicis tormentis quaſſari, cum propter eorum ſitum tum propter territorium adeo montoſum ſcopuloſumque, ut tormenta bellica eo duci non poſſint. Hujus ſunt conditionis omnes civitates, Dalmatiæ, Iſtriæ, Inſularumque, defendendis dictis civitatibus fortalitiiſque utuntur Veneti viris illarum regionum, qui fideliſſimi ſunt, curantque in Lombardia virorum 15 millia armis exerceri, appellantur Selecti nomine ipſis uſitato Cernide, quod in unoquoquo diſtrictu comitatuque ſeligantur, qui armis ſunt aptiores, eorumq; quotannis variæ fiunt luſtrationes particulares, generalesque; cum autem horum pars major ruſtica ſit plebs, præliis campeſtribus inepti, nec ordines ſervare norint, largitur reſpub. ſtipendium militibus, qui degunt in civitatibus ipſi ſubditis, ſicut & exteris, qui ipſorum militibus haud cedunt. Peditatus Italicus, animis, agilitate valet, fortisque eſt, aptusq; aggreſſibus velitationibusque, ſicut & oppugnationibus ciuitatum, ſed ei deeſt ordo ille firmus conſtansque, quo valent Germani; habetur tamen peditatus Italicus valde ſtrenuus; habuerunt talium, nempe ſubditorum exterorumque Veneti, in ſuis exercitibus plus minus 15 aut 20 millia, largiunturque ſtipendium aliquibus Cantonibus Helvetiorum Rheodumque poſſent itaque Veneti exercitum conſcribere 35 millium militum ſtrenuorũ mediocriumque plus minuſve, prout requireret neceſſitas, diſtribuuntur

untur alii in præſidia civitatum, & per triremes. Pediti numerantur pro ſtipendio 45 dierum, tres nummi aurei, quando meret, ingruente autem magna neceſſitate ſolvuntur ipſis quolibet menſe 5 nummi aurei plus minusve. Equitatum quod attinet, largitur reſpub. ſtipendium equitibus cataphractis ſexcentis ſelectisſimis, quos pro præſidio magnificentiaque conſcripſit; eorum unuſquiſq; tres ſecum equos trahere ſolebat, ſed nunc plures duobus non trahit, requiritur autem, ut ii ſtrenui pulchrique ſint, eques 120 nummos aureos meret quotannis, ii fere omnes nobiles ſunt civitatum in Lombardia Venetis ſubditarum, quantumvis autem in Venetorum ditione progenies equorum generoſorum non ſit, poſſet tamen equitum numerus augeri ad mille, aut mille quingentos uſque. Solebat hæc reſpub. in Lombardia ſtipendia largiri mille equitibus levioribus armaturæ, ſed parcit nunc hac inutili expenſa, quod ipſis facile ſit magnum equitum numerum conſcribere, poteſtq; uti militibus Dalmatis, qui vulgo Stradiotti & Capelletti dicuntur, valent multum ad impediendū ſubvectionem commeatuum hoſtibus, iiſque inſequendum. Præſtant quoq; experientia agilitateque, ſiq; rumpantur eorum ordines militares, facile eos reſtituunt, ſeq; commilitonibus jungunt. Taliū equitum poſſet hæc reſpub. conſcribere in Dalmatia aliiſque Inſulis ter mille, paucoq; minorem numerum equitum levioris armaturæ, in civitatibus Italiæ. Exercitibus terreſtribus præficiūt Veneti Capitaneos exteros. Præcipue a. deferunt Capitanei Generalis aut Gubernatoris decus externo Principi ſæpeque permagno ſalario conduxerunt præfeceruntque ſuis exercitibus dominos liberos, quales ſunt Marchiones Duceſque. His Capitaneis belli tempore addit reſp. duos Senatores virtute præſtantes, qui Proveditores Generales dicuntur, abſque quorum conſenſu, Gubernator aut Capitaneus Generalis prælio decertare non poteſt, nec aliquam magni momenti rem tentare. Dicāmus nunc de militia maritima, quæ caput rerum eſt, maximique momenti. Primum eſt admirandum Navale Venetum, quod non ſolum valde magnum eſt, ſed adeo pulchrum, omnibusque rebus neceſſariis inſtructum, ut hodie univerſo in orbe ei ſimile non reperiatur, ſitum eſt ad unum civitatis caput, mari vicinum, civitatiq; adeo conjunctum ut ab ea diviſum haud videatur, ſed pars ejus putetur, judicaturque eam ob rem à ſpectatoribus major, quam eſt; cingitur fortibus muris, ſed nulli ei ſunt aggeres intrinſeci, quod iis non egeat,

cum

cum quaſſari tormentis bellicis haud poſſit, dicique poteſt in Inſulâ ſitum eſſe, quod Canalis ipſum circumdet. Si alio nomine quam Navalis, ipſum appellare velimus, fortalitium aut Sertaglium Venetum poſſemus dicere. Dicto in Navali numerantur ducentæ biremes vulgo Galere, ſuntq; præter has in mari aliæ multæ, earum numerus ad 40 accedere ſolet. Sunt quoq; aliæ naves, quæ Galere magnæ dicuntur, ut diſtinguantur à minoribus: equites cataphracti hæ dici poſſunt, quod graves ſint, nec remibus adeo facile agi poſſunt, ſed multo majorem impetum faciunt, ſi quæ tales naves in prælio navali, ventum haberent propitium, vel centum minores quas Subtiles vulgo Sottili dicunt, invadere poſſent, ſi autem iis jungerentur minores, claſſis talium navium eſſet invincibilis, poſſet enim talis claſſis cum velis, tum remis uti. Sunt in dicto Navali tot adeoq; diverſa armorum genera, ut iis innumerabilis gens armari poſſet, inſpicientique ſtuporem incutit multitudo, videntur quoque ibi tot tormenta bellica, ut dictis navibus poſsint ſufficere, armiſq; cum offenſivis, tum defenſivis armari nautæq; milites, ultraq; ea adhuc tot alia ibi ſpectantur arma, ut naves particularium, fortalitia, exercitusque terreſtres, cum opus eſſet, eis poſſent inſtrui. Ligni fabricandis navibus idonei maximam habent copiam Veneti, cum propter qualitatem frequentiamque ſylvarum circa mare ſitarum, tum propter curam, quam habent, quercuum in ipſorum ditione naſcentium, quæ cum exciſæ ſunt, facile conducuntur Venetias per mare, per flumina quoque, quæ apud Venetias ſe condunt mari. Vt uno verbo dicatur, quidquid de Navali dici poſſet, certum eſt, quod tale Navale, quale eſt Venetum nunquam fuit, nec eſt, nec erit in orbe univerſo, quod adeo probe ſit inſtructum viris ſtrenuis; ſunt enim trecenti plus minus, qui operi ſemper ſunt attenti faciuntq; ſua opera tanta velocitate, ut mirari haud ſatis queat ſpectator, minori enim quam decem dierum ſpacio, integre armarunt 30 Galeras, ut nihil iis deeſſet, prelioque eſſent idoneæ. Magnam pecuniarum vim impendunt Veneti in hoc Navale, in quo tantum fabricantur triremes, vulgo Galeræ parvæ & magnæ, quos ipſi Sottili & groſſe dicunt, & Cataſtopia quæ vulgo Fuſtæ dicuntur, quod navium magnarum probeque inſtructarum affatim habeant; ſunt eæ quidem privatorum, ſed reſp. cum opus eſt, iis poteſt uti. Venetis quoque non deſunt Exibatæ, civitates enim maritimæ, ſicut & continentis ipſæque Venetiæ talium ſatis ſuppeditant, in tri-

triremibus militant viri ab ipsis conscripti, quos delle Cernide dicunt. Pars maxima Capitaneorum præfectorumque triremium (ipsi Sopraconiti dicunt) ex nobilitate Veneta seligitur, quorum numerus prægrandis est, suntque in unaquaque, præter Præfectum, duo nobiles Veneti, ut se in disciplina maritima exerceant. Venetis itaque instruendæ classi nihil deest, nisi aliquis eis pane bis cocto aut nautico opus esse diceret, præcipue caritate ingruente; sed hujusmdi pane eoque optimo abundant Veneti, habent enim multa ampliſſimaque granaria, in quibus adservatur infinita frumenti aliarumque frugum vis, panis quoque nautici. Vt Sinus Venetus securus tutusque sit, sicut & maris Ionii insulæ, semper in promptu sunt 35 aut 40 triremes, quibus præest Proveditor & Capitaneus Sinus, facitque Senatus impensam in unamquamque quinque millium ducatorum, computando panem nauticum. Hæ triremes non solum reddunt mare securū à piratis; sed & exercitantur in rebus maritimis multi nobiles, quamvis non vigeat bellum. Hæc est magni momenti res, conciliatque reipubl. multum existimationis. Dictus numerus triremium augetur, quotiescumque Turca classem instruit, curantque Veneti, ut sua classis par æqualisque Turcicæ classi sit, eoque casu constituitur generalis classis quod nomen tanti est momenti apud Turcas, ut Sinui appropinquare, multoque minus Venetiarum civitati haud audeant. Quamvis autem Venetorum classis, cui tutela Sinus (aliter Golfo) demandata, magna valdeq; potens sit, haud tamen potest naves omnes Sinum Venetiarum sulcantes securas reddere; minores enim naves, quæ haud longe à littore Dalmatiæ discedunt, spoliantur à piratis, qui Vscochi dicuntur, ii se Zegniam, & flumen vulgo Frume, oppida familiæ Austriacæ subjecta recipiunt, suisque naviculis armis instructis, adeo molesti sunt navigantibus, ut reipublicæ necesse sit, semper ibi in promptu habere Capitaneum & quinque Catascopia armata. Huic Capitaneo injunctum est, ut dictos piratas extirpet eradicetque; quamvis autem hæc res Venetis magnæ fit impensæ, multum tamen facit, magnoque est usui, ut illi piratæ coerceantur. Qualem avtem triremium naviumq; numerum Resp. emittere possit, facile perpendi potest: cum enim non desint ligna, arma, viri, pecuniæ, tantum navium numerum educere potest respubl. quantum putabit opus esse; quamvis autem à multo jam tempore non emisit respublicæ plus quam centum triremes, paucasque naves, is tamen, qui

probe perpendet omnia, percipiet rempubl. ante ducentos aut trecentos annos, cum ei haud tantæ vires ſuppeterent in expeditionem Terræ Sanctæ inſtruxiſſe claſſem ducentarum navium, tantundemq; in expeditione Conſtantinopolitana, quando cum Francis eo vela fecerunt; nemini itaque dubium eſſe debet, quod ſi urgeret neceſſitas, cum reſpubl. ſit dives pluresque ſubditos habeat, Navaleque melius quam unquam inſtructum ſit, eam majorem claſſem inſtruere poſſe. Si id non faciunt, in cauſa eſt, quod tot naves periculo exponere uno tractu conſultum ipſis non videtur. Quamvis autem claſſis Veneta, Turcicæ claſſi numero par non eſſet, viribus tamen ſuperat; nec dubitari debet, quod ſi Veneta claſſis, à Turcica aggrederetur; (quod nunquam auſa fuit) facere prelium non recuſaturam Venetam. Quamvis autem ad reipublicæ Venetæ clavum ſedeant nobiles, non autem populus, non tamen dici poteſt, ibi paucos rebus præeſſe, nec etiam multos, minus adhuc dici poſſet, ipſam ab uno moderari, quod ei Princeps aut Dux præſit, ſed in ea ſpectantur tria regiminum genera, unde unum ſolum, idque omnibus numeris abſolutum emergit. Sedet itaque ad reipublicæ clavum Dux, in quo Imperii Majeſtas elucet, in veſtitu exiſtimationeque, dicitur vulgo Doge, quod Ducem ſignificat, aut Capitaneum, à quo alii duci videntur propter ejus Majeſtatem habitumque abſoluto Principi conſvetum; creatur hic Princeps electione ab ipſis nobilibus, ſed ejus authoritas major haut eſt, quam cujuscumque alterius præcipuæ notæ nobilis; in deliberationibus enim publicis, unum tantum votum habet ſicut àlii, ipſius quidem eſt reſpondere reipubl. nomine Principum Legatis, eorumq; literis reſcribere, ſed nihil reſpondere aut reſcribere poteſt, quam quod Senatus præſcripſerit, ei in omnia reipubl. concilia patet aditus, ſuamque ſententiam dicere poteſt ſicut & alii, quibus licet ipſius ſententiæ refragari. Eſt & aliud concilium paucorum, haud ditiorum aut potentiorum, ſed ſapientia rerumque uſu præſtantiorum; in hoc concilium, decem tantum admittuntur, diciturque ideo concilium decem ſapientum, his junguntur 15 Senetores: quidquid hi, Princeps, ſexque conſiliarii ſtatuerint id ratum eſt. Sunt præterea infinita concilia, quæ paucorum dici poſſent, ſique de unoquoque eſſet dicendum, plus ocii temporisque requireretur. De conciliis hoc tantum dico, ex omnibus paucorum componitur unum, quod multorum dici non poteſt, quod ducenti viginti & quinque Senato-

natores ei non interſint, hoc concilium certe Senatus dici poſſet, dicitur vulgo Conſilio di Pregati, quod initio reipubl. precarentur ſive rogarentur ſapientiores prudentioresque civium, ut dicerent ſententiam deliberarentque, quid eſſet ex uſu reipubl. Hi Senatores ſeliguntur ex alio ſed majore concilio, ſed eliguntur ſapientiores, quod ad ipſos referantur maximi momenti negocia, belli, pacisque, fortificationes locorum, conductiones Capitaneorum, creatio legatorum ad Principes mittendorum: leguntur in concilium litteræ, quæ reipublicæ ſcribuntur: ut concludam, concilium ſententiam dicit in rebus gravioribus majorisque momenti. Poſtremo eſt concilium quod reipublicæ faciem habet quamvis, ut verum dicatur, non eſt, hancque ob cauſam ad hoc concilium tantum admittuntur nobiles, qui libro inſcribuntur. Nec in hoc concilio nobili, qui annum ætatis vigeſimum quintum non exceſſerit, locus datur, niſi votum det, quamviſque aliquibus ex gratia ſpeciali in hoc concilium ætatis anno vigeſimo, aut paulo amplius, attamen decretum annorum 25 firmum manet. Nobilium, quibus in hoc concilio aditus patet, numerus ad bis mille & quingentos accedit, quia autem multi abſunt, foris magiſtratibus præfecturisque fungentes, non ultra mille ſexcentos conveniunt quoquo otiduo, nempe die dominico mane, ſicut & hora matutina dierum faſtorum, creantur tunc magiſtratus, diſtribuunturque functiones admirando pulchroque ordine. Eliguntur pluralitate votorum, qui locum habere debent in concilio, quod Pregadi vocant, aut in concilio decem virali, vulgo di diece, in aliis quoque conciliis eliguntur ſapientiores prudentioresque totius nobilitatis. Quamvis autem videatur fortunam multum poſſe, ut functionem conſequatur aliquis, non tamen datur ea niſi digno & virtute præſtanti, niſi enim concilii pars plus quam dimidia, candidatum functione dignum judicat, eam non conſequitur. Poſſent hic multa dici de mirabili ordine creandorum magiſtratuum, quamque quiete pacificeque omnia peragantur, ſed longum eſſet, lectorique tædium forte moveret, dicentur ergo ſolummodo neceſſaria nec omittentur hic verba Caſſiodori Ravennatis, qui ſcribit cuidam Theodoro de antiquorum Venetorum moribus, qui, quamvis eorum Status multum auctus ſit, eos tamen mores ſervant adhuc. Paupertas ibi divitiæque ſunt æquales, unus cibus reficit omnes. Habitatio ſimilis concludit univerſa, neſciunt de pecuniis invidere, & ſub hac de-

gentes mensura vitia fugiunt, quibus mundus obnoxius est. Vestitus Venetorum moribus similis est longus nempe, gravis, pacificus haud pomposus, unus idemque est cibus, parcus nempe, lege enim sumptuaria prohibeutur nimis lauta convivia, nulla est distinctio inter divitē & pauperem, sed virtus tantum honores meretur; juvenes reverentur antiquiores tanquam patres, ipsi amant juvenes tanquam filios, conceduntque ipsorum aliquibus, ut in deliberationibus publicis sententiam dicant, id (meo judicio) multum facit invitandæ juventuti, ut rebus gravibus studeat, in iisque se exerceat, quæ in usum sint reipubl. ipsorumque fervore calefit veterum frigiditas. Vt concludam hic nihil aliud videre est, præter æqualitatem laude dignam, nec aliud quam Dei cultus spectatur, utq; respubl. quieta pace fruatur, justitiaque æqualiter administretur unicuique, nullo aut divitiarum aut paupertatis habito respectu sicut nec nobilis & plebei, qui & suas partes habent in hac illustrissima republ. gaudentque functionibus honorariis utilibusque nempe præfecturis aliquarum arcium, officio Secretarii magnorum Conciliorum, aliisque functionibus, id in causa est, ut populus nobiles amet revereaturque, nobiles plebeios protegunt favoreque eos prosequantur, juventque eos ut functiones, quas obire possunt, consequantur. Respubl. Veneta magnam habet curam pauperum subvenitque necessitati ipsorum multis modis, iisque ipsos adeo sibi devincit, ut non solum tanquam subditi patritios revereantur, sed tanquam mancipia; impendit itaque respubl. magnam pecuniarum vim, ut panis aliaque ad victum necessaria vili væneant pretio, ideoq; mirum haud est, quod populus absque strepitu, cum ingruit necessitas, onera reip. patienter ferat. Populi quoque aliarum civitatum Venetis subditarum ipsis sunt admodum fideles, isque, qui alicui præficitur, aliud nihil pro scopo habet, quam ut omnibus justitiam administret, prositque civitati ipsius curæ commissæ, certusque est, ita faciendo sibi in patria majores honores paratos esse, sin autem secus faciat, se pœnas non evasurum, nec functionem aliam consequuturum. Causa altera, ob quam populo placet regimen Venetorum est, quod vectigalibus gravibus haud onerantur, quibus aliqui tyranni miseras civitates exhauriunt. Videtur nunc brevibus aliquid dictum de hac Republ. quæ sic conferatur cum aliis, ante ipsam orbi notis (de quarum tamen amplitudine nec viribus dicitur, sed de earum regimine legibusque) cognoscetur

ſcetur, ipſam omnes alias longo intervallo poſt ſe relinquere, poteſtque dici illas ab hominibus rapinæ deditis ſanguinariisq; erectas fuiſſe, hæc autem à Deo & philoſophis; quamvis autem reſpubl. Romana totum pene orbem ſibi ſubjecerit, tamen ſuam libertatem tutari retinereque ultra ſeptingentos annos haud potuit, hæc autem tot potentibus hoſtibus circumdata, quique ipſam extirpare conati ſunt, nec Principem exterum aut amicum qui fidem datam ſervarit, experta, tamen ſpacio mille annorum non ſolum libertatem tuta eſt illibatam, ſed ſola reſtitit Turcarum permagnis viribus. ſicut & potentiæ Principum Chriſtianorum magno admirandoque ſucceſſu, cum enim judicabatur peſſundata extinctaque, viſa fuit tanquam phœnix reviviſcere, nec videtur ipſam ab aliqua magna potentia vinci poſſe, niſi à peſſimo illo potenteque verme, diſcordia, quæ unica machina ipſam evertere poſſet ſoloque æquare. Sed major pars optimi prudentiſque Senatus continuo invigilat, ut huic malo eat obviam. Quamvis autem multis videatur propter ſcelera, quæ in Venetorum civitate quotidie perpetrantur accumulanturq;, iram divinam ipſi imminere, nec pœnas peccatis debitas diutius dilatas iri, ſed ipſam extirpandam funditus, hoc tamen ſcitur, quod præter diligentem inquiſitionem maleficorum, ſeverasque pœnas, quibus Senatus noxios ſubjicit, in civitate ſint multi probi piique, quorum cauſa Deus miſericors, illorum miſertus eſt, miſerebitur, ſervabitque ipſam in ſecula ſeculorum. Nunc ſupereſt ut conſideretur quomodo huic reipubl. conveniat cum aliis orbis Principibus: quamvis hac de re nihil certi dici poſſit, hoc tamen ſcitur hanc rempubl. magni ſemper feciſſe Rom. Pont. ob eorum arma ſpiritualia, videturq; reipubl. res haud proſpere ſucceſſuras, ſi Pont. Rom. minus benevolum haberent. Cum aliis Principibus ſtudet hæc reſpubl. pacem colere, quod potentes adprime ſint, difficileq; ſi vires jungerent poſſet ipſis reſiſtere: ſtudet quoque ipſorum amicitiam conſervare, quod timeat, ne in medio ſita ab ipſis præter ſpem aggrediatur; novit enim reſpubl. maximam Principum partem oculos adjeciſſe ipſorum civitatibus in Italia, quæ multæ magnæque ſunt, nec ipſam rempubl. fugit Principes liberos urere maleq; habere rerump. fortunam proſperam. Regem Hiſpaniarum omnibus officiis colit hæc reſpubl. quodq; eum cum Italiæ principibus pacem colere videat, reip. ſummopere gratum eſt, quamvisque ſe arctiore fœdere ipſi conjungere

non voluerint, nulla alia de causa id recusarunt, quam ne alii Principes suspicarentur siniſtri aliquid, præcipue autem Turca, utque toti orbi palam foret rempubl. nemini addictam esse, nec ipsius libertatem ab aliquo dependere. Dicendum nunc aliquid de suspicionibus, quæ reipubl. oboriri possent de aliis principibus, quod ipsius ditiones sint divisæ longeque extendantur, noritque omnes Principes reipubl. minus æquos. Timet hæc respubl. Turcam plus quam ullum alium, quod terra vinci non posse videatur, marique adeo potens sit, ut amissa una classe, facile eam reparare restituereque possit, parvi itaque facere jacturam unius classis, quod si ipsis accideret magno in periculo versarentur amittendi Status maritimi aut ad minimum libertatem maritimam magno in discrimine futuram esse. Timent præterea Veneti, quando cum Turca belligerantur, ne ingruat caritas frumenti, quod belli tempore exportari vetatur ex Turcæ ditionibus, ex quibus pacis tempore, quantitas frumenti permagna ipsis adfertur; difficultas annonæ aliquando in causa fuit, quod amiserunt, in Albania nempe & in Peloponneso, civitates quæ longo tempore strenue Turcis restiterant: magnopere itaque studeant Veneti paci cum Turca hoste potentissimo, itaque se erga eum gerunt, ut cum amicum servent, faciunt id magnis donariis patiendoque excursiones Turcarum, interim tamen ita muniunt sua fortalitia, ut hostis haud facile damnum inferre possit. Est Venetis quoque adprime utilis Turcæ amicitia propter mercimonia, quæ in ejus ditione exercent; si autem Turca Venetos hostes vellet, plus forte difficultatis experiretur quam sibi persvadet. Timent quoque Veneti, Regis Hispaniarum vires, norunt enim quantum is viribus valeat in Italia, sed videntes ipsum paci studere scienteſque reipubl. civitates, quas in Italia possident adprime munitas, ipsum pacem infracturum haud sperant, quod si ipse reipubl. quietem turbaret, defensioni solummodo, nec rempubl. aleæ unius pugnæ exponendo, sperant eo modo se ipsi posse resistere, quamvis norint se ipso viribus terrestribus inferiores. Imperator potius hostis occultus quam amicus est, sed ipsi eum haud timent, sciunt enim eum longo bello ipsis haud parem, nec pecuniis instructum, ipsique Turcæ resistendum esse; attamen Veneti ipsius amicitiæ omnibus modis studeant. A Rege Francorrm potius auxilium expectare possunt Veneti quam offensam, quod in Italia ei nullæ sint vires, sed

si ipse

ſi ipſe Rex in Italia res turbare vellet, quod fortaſſe nunquam facere poterit, Venetos fœdere ſibi jungere potius ſtudebit, quam ipſos hoſtes experiri ſed Veneti experti ſunt ipſorum rebus magis conducere ut videant alios ſe invicem impetere, quam ut ſe jungendo uni, alterum offendant ſibique bellum attrahant. Ab Italiæ Principibus non ſibi timendum putant Veneti, quod inter ſe diviſi diſcordeſque, ſoliqué potentes haud ſint, ſciunt quoque Pontifices Romanos potius reipubl. partes amplexuros, quæ ſicut Catholicos decet Pont. Romanum colit, non conſultum itaque eſſet Romano Pont. ſi rempubl. negligeret. Principemq; externum exaltaret. Principes itaque Italiæ, remp. potius defendent adverſus vires Turcarum, quam ſe ipſi jungerent ad exitium reip. in qua ſola, adhuc radius antiquæ gloriæ nominisque Italici ſplendere, dici poteſt. Cum hucuſque ſit narratum quibus ex rebus reſp. excellat, quæ res tales ſunt, ut auſcultanti admirationem incutiant, operæ precium erit (cum nihil in orbe ſit perfectum) enarrare quid ei deſit, & quid in ipſa deſiderari poſſet, quantumvis id haud ſit magni momenti. Primum forſitanque maximum, quod in hac republ. deſiderari poſſet diciq; ei deeſſe, eſt annonæ copia, illiq; objici adeo magnam illam habere ditionem eamque populo adeo refertam, ut eo nutriendo alterius annona indigeat, quodque niſi mari, Venetias infinita annonæ quantitas adveheretur, laboraret ejus ditio continue panis penuria, quæ res populis graviſſima eſt: hæc eſt una cauſarum, quare reſpubl. tantopere conatur cum Turca pacem conſervare, hanc quoque ob cauſam magnopere colit Regem Hiſpaniarum, qui Venetis ſæpe concedit, ut ex Sicilia & Apulia frumentum evehant. Secundo loco vertitur ei vitio, quod nullo peditatu, quam Italico utitur in bellis, eſtque nimis verum, id in cauſa eſt, quod multum de ſua antiqua reputatione deceſſerit; accidit ex eo, quod pugnandi modi multum ſint mutati nec peditatus Italicus ſtatariis pugnis valere exiſtimatur, nec comparari poſſe peditatui Germanico, Helvetio Hiſpanicoque; deberet itaque Reſpubl. Venета in ſuis exercitibus conſcribere, bonum peditum Helvetiorum & Germanorum numerum, quod ſi faceret pluris fieret æſtimareturq; reſpubl. Tertio loco taxatur in Venetis; quod ſuis exercitibus aliquem ſuorum ſubditorum non præficiunt, ſed extraneum, quod aliud nó eſt, quam ſua externi arbitrio exponere, ſubmittereque, neceſſe quoq; eſt, ut reſp. multum in extruendis fortalitiis impendat, cum enim

enim novi excogitentur modi arcium expugnandarum, neceſſe eſt, ut aliquo elapſo tempore mutentur fortalitia, qua in re, infinitam pecuniarum vim in vanum inutiliterque abſumſit. Hæc res multum de felicitate hujus reip. detraxiſſe videtur, Sed his malis medicina adhibetur, prudentes enim illi patres, in aliud nihil quotidie collimant, quam ut omnibus reip. malis medeantur, nec alio tendunt, quam ut in ipſorum Statu pax quiesq; vigeat libertasq; ſalva ſit, ipſi autem quietem non explodebant; non enim rixas particulares, quæque inter ipſos exoriuntur lites, radices agere creſcereque haud ſinunt, ſed eas ſtatim, aut amica transactione, aut ſeveritate illuſtris Concilii X. virorum ſopiunt. Cives quoque nobilesque hujus reipubl. nunquam tantam reputationem gradumq; nanciſcuntur, nec tantas ſibi parant opes, ut tyrannidem invadere tentent, ſed vivunt in ſumma pace concordiaque inter ſe, ut bonos Chriſtianos decet, agunt itaque vitam quietam, liberam, fœlicemque, ſperariq. poteſt illos, ea diu multoque tempore gaviſuros, ſi pergent, annitentur optimas ſuas leges incorruptas ſervare Chriſtianeque vivere, ſicut ipſorum pars maxima facit, quod ſi fecerint, habebit ipſorum curam ſpecialem DEus, ſicut illos hucuſque ei curæ fuiſſe palam notumque eſt omnibus.

CAPVT XV.

DE MAGNI CHAMI TARTARI IMPERIO.

SIcut veteribus ignotæ fuerunt regiones ad Ortum Maris Caſpii ſitæ (quod Oceani partem eſſe putarunt) ita & adhuc parum nobis conſtat de populis omnibus, qui ultra id mare & montes, qui vulgo Dalanguer & Vſſonte dicuntur, habitant. Marcus Paulus Venetus primus omnium earum regionum ſatis amplam deſcriptionem edidit, & ab eo accepimus, quicquid nobis de Tartaris innotuit. Longinquitas enim regionum in cauſa eſt, quo minus cognitæ fuere regiones, tum etiam difficultas itinerum, ſitusq; locorum; Magnus enim Moſcorum Dux (per cujus ditiones ad illas regiones ire poſſemus) non concedit exteris aditum profectionemque per ſuas ditiones. Mare Caſpium quoque, quod itineri oportunum eſſe poſſet,

posset, non frequentatur. Offerunt se deserta denique loca, montesque infiniti, qui Tartariam à Persia dividunt. His etiam accedit, quod nec Magnus Cham, sicut nec Rex Chinæ, nec Magnus Dux Moscorum, suis populis peregrinari, nec exteris sua regna ingredi concedant, nisi ii Legatorum munere fungantur, quibus tamen libere versari non permittitur. Tartari sub diversis Principibus degunt: præcipui sunt, qui viridia insignia in capite gestant, ii Samarchandum civitatem inhabitant; perpetuas cum Sopho alunt inimicitias Bacaranus (qui Mahumetanus est) Mogori (de quorum Imperio alio loco actum est) Cathainus, de quo nunc agere ordimur. Nulla in orbe gens est, quæ majus imperium habuit, aut majores expeditiones suscepit; utinam suorum gestorum scriptores habuissent. Scribit dictus Marcus Paulus, hos populos quondam Ciurzam & Batgam Provincias ad Oceanum Scythicum incoluisse absque domibus, non dico civitatibus castellisque, sed sicut Arabes, nunc in hoc, nunc in alio loco, secundum pascuorum oportunitatem vagos vixisse: recognoscebant tamen in supremum Dominum Vncham (quem aliqui Presbyterum Ioannem interpretantur) cui decimas pecudum suorum dabant. Progressu temporis adeo multiplicati (sicut Iudæi in Ægypto) sunt, ut Vncham eos suspectos habens eorum numerum viresque minuere coperit, eos nunc huc, nunc illuc, secundum oportunitates in expeditiones periculosas longinquasque amandando. Ipsi autem id animadvertentes conjunxerunt se, concluseruntq; solum patrium relinquere, quod & fecerunt, suntque tam procul à ditione Vnchami profecti, ut sibi ab eo non amplius timerent. Post aliquot annos sibi elegerunt in Regem Chingin, cui propter victoriarum & expeditionum amplitudinem, cognomen Magni datum est; regione enim sua Anno 1172. egressus cum terribili exercitu, subjugavit tum viribus tum æstimatione novem Provincias. Cum denique ab Vncham unam ex filiabus sibi in uxorem dari popposcisset, nec id obtinere potuisset, ei bellum indixit, prælioque superatum ejecit ex regno suo. Post Chingis mortem, ejus successores Europam afflixerunt; Anno enim 1212. expulerunt Polososchos ex confiniis Ponti Euxini, 1228. invaserunt depræ-datique sunt Russiam: & 1241 exciderunt Kioviam Ruthenorum Metropolim: Bettusque ipsorum Capitaneus diripuit Poloniam, Silesiam, Moraviam, Hungariam. Hac de causa perterrefacta Europa, Innocentius IIII Papa Anno 1242 ad aulam Magni Chami aliquos pa-

tres ordinis Divorum Dominici & Franciſci miſit, ut pacem Chriſtianis impetrarent. Sextus à Chingi (qui ſe Cublai nuncupavit) regnum eſt auſpicatus anno 1256 & 60 annorum ſpacio, quo præfuit, Imperium per univerſum fere Orbem deduxit. Subjugavit enim anno 1269. Chinam, quam Marcus Paulus Mangi vocat; Anno 1272 occupavit regna Mein & Bengalæ, quæ ditiſſima erant, præcipue Bengalæ, quod ſe juxta maritima fere ad 120 leucas extendit, tantundemque in Mediterraneis dilatatur. Fluvius nobiliſſimus Ganges ſecat ipſum medium: Metropolis ejus eſt Gouro, 4 leucas longa ſed non valde lata, ad fluvium ſita. Sed cum dixerim Paulum, Chinam nuncupaſſe Mangi, neceſſarium mihi videtur id probare, quod factu difficile non eſt. Civitates enim Panghin & Nanghin, quas Marcus Paulus, in Mangi ponit, adhuc hodie ab omnibus, qui de iis aliquid retulerũt, in Chinæ ponuntur, & quod ipſe ſcribit, in Mangi 1200 civitates numeratas fuiſſe, ſatis convenit cum recentioribus relationibus de China. Facit quoque multum ad rem, quod incolæ inſulæ Cipanghi (quam aliqui Iaponiam eſſe putant) Mangi, tunc adhuc dabant nomen Cin. Vna tantum difficultas ſupereſt, quod Paulus & aliqui patres, qui ibi circa Innocentij IV tempora fuere, pro primaria regni Mangi putant eſſe fama celebrem civitatem Qvinzai, ubi decies ſexies, centies mille familiæ numerabantur, de qua civitate tamen nullam mentionem faciunt Luſitani, nec patres Ieſuitæ, nec alii, qui aliquam cognitionem regni Chinæ nobis dederunt. Id & mihi admirandum videtur, vel ob id, quod Paulus, qui in Mangi ponit portum Zaiton (quem omnes recentiores locant in China, inter civitatem Cantan & Caput Liampo) aſſerat, quod fluvius qui ſe in eum portum exonerat, ramus ſit illius, qui Qvinzai perlabitur. His difficultatibus reſponderi poteſt, quod civitas Qvinzai, hodierna die ſita eſt extra Chinam, ad Septentrionem illius admirandi muri, de quo diximus. Veriſimile quoque eſt, Qvinzai in Tartarorum poteſtate manſiſſe, poſtquam Chinam ſibi ſubjugarunt, tanquam magnæ æſtimationis civitatem, & quæ propter ſui ſitus fortitudinem, ſatis facile defendi poſſet, talemque eam vidimus in aliquibus tabulis, quæ in illis regionibus exaratæ ſunt. Alii ipſam exciſam dicunt; cum enim tanti momenti tantique nominis civitas ſit, incredibile ipſis videtur, noſtris temporibus (quibus plusquam unquam Orbis detectus eſt) de ea nullam mentionem factam eſſe: adeo magnæ autem civitatis excidium res incredibilis videri

derinon debet, magnæ enim civitates ut plurimum sentiunt damna, adversaque quæ bella adferunt. China etiam terræ motibus adeo impetuosis, vehementibusque obnoxia est, ut iis civitates integræ evertantur excindanturque. Legitur quoque in aliquibus litteris Lusitanorum, magnas civitates, igne de cœlo lapso absumptas esse. Sed necesse non est, ut quod civitatem Qvinzai intra terminos Chinæ non reperimus, eam dicamus excisam : verisimilius est, terminos illius Provinciæ mutatos confusosque esse (sicut bello & irruptione Barbarorum alibi factum est) quam ut talis civitas nunc in nihilum redacta sit. Amplitudo imperii Magni Cham Cathaiensis, temporibus supra notatis, extendit se ab extrema Asiæ parte in Armeniam, & à Bengala ad Volgam usque, ut nihil dicam de Tartarorum excursionibus, ad Nilum & Danubium usque. Inde percipitur Alexandri Magni & Romanorum Imperium cum illorum dominio conferri non posse. Sed cum per regiones supra dictas Tartari vagati essent, armaque modo huc, modo illuc circumtulissent, seque omnibus formidandos tremendosque ostendissent, videntur ultra montem Caucasum sedes fixisse. Quamvis autem eorum dominium in multos Principatus divisum sit, nominis tamen amplitudo, & Imperii majestas mansit penes Magnum Chamum, qui à Magno Chingi originem ducere existimatur. Ejus Imperium extendit se à deserto Lop, ab uno latere, & à lacu Kitaja ab altero, ad murum usque qui ductus est, inter 43 & 45 gradum civitatis Ochioi (quæ inter duos montes sita est) ad alium montem usque, qui ad Oceanum finem habet, dividitque Tartaros à Chinensibus, & ab Oceano Scythico ad confinia Tipuræ regionesque vicinas usque. Conscripto spacio comprehenduntur multa magnaque regna, multæ amplæque Provinciæ: Tangut nempe in qua sunt civitates Succuit & Campion ex lapidibus more Italico factæ, Ergimul, Carazan Teber, Caindu civitates regnorum Metropolitanæ. In medio Imperii est Tenduch civitas, quæ Pauli tempore erat Presbyteri Ioannis, sed magno Cham subdita; potissima quoque populi pars credebat in Christum, sed Zizaniæ, & Idololatriæ multum admixtum erat, multi quoque erant Mahumetani. Illic est civitas Cambalu Imperii caput, continet in ambitu 28 milliaria: & vicina Taiduc, ad lacum sita habet in circuitu 24 milliaria: Xaidu ubi Palatium Magni Chami est figura quadratum. Ejus unaquæque facies octo milliaria longa est, continetque quatuor portas: in eo cir-

cuitu aliud est Palatium, quod in uno quadrato sex milliarium est, in cujus medio sunt tres portæ ad Meridiem, totidemque ad Septentrionem spectantes: in unoquoque angulorum, & in medio uniuscujusque faciei, spectatur magnum Palatium. In hoc est præterea alter circuitus unius milliaris, in quadro sex portas instar earum, de quibus supra dictum est, habens totidemque Palatia. Inter utrumque murum visuntur prata sylvæque; In hoc circuitu est Palatium magni Chami, de cujus commoditatibus, ornatu, magnificentia meum non est dicere, sicut nec de venationibus, aucupio, piscationibus. Tota hæc regio ut plurimum, plena est civitatibus populisque divitibus, civilibusque, tum quod Tartari, (qui sibi eam in habitationem patriamque elegerunt) totius Asiæ, Chinæ, & partis Europæ (quam pervagati deprædatique erant) spolia eo detulerint, quæ nunquam inde exportata fuere: tum quod regio, consvetudini & commercio unius civitatis cum altera maxime commoda sit. Proceditid, partim ex natura planicici locorum, & amplitudine lacuum, inter quos est ille, qui Cazaia dicitur (cujus aquæ salsæ sunt) & qui Guiam, Dangu, Xandu, Catacora dicuntur: partim ex latitudine fluviorum, qui cursu longissimo has regiones præterlabuntur nempe Curato, Polisango, Zaiton, Mecon, (quem Paulus Quion nuncupat). Multum quoque facit varietas fructuum, qui nascuntur; abundat enim ut plurimum frugibus, oryza, lana, seryco, cannabe, rhebarbaro, musco, camelotis excellentibus, ex pilis Camelorum confectis. Idem Paulus scribit, Caindu producere Zinziber, cinnamomum, caryophilla, quod tamen mihi creditu difficile videtur, flumina trahunt secum multum auri. Moneta quæ ibi pensilis, unius nummi aut valoris non est. In Cathaio expenditur nummus, ex quadam charta nigra, quæ ex illa arborum pellicula conficitur, quæ inter arboris truncum & ejus corticem reperitur: ea pellicula cum trita, contusa, temperataque glutine fuerit, signatur deinde impressione Magni Chami. In regnis Caiacan & Carazan, expendunt Conchylia marina, quæ aliqui Porcelette vocant. Id nummi genus, in usus est in multis Indiæ & Æthiopiæ locis. Hac ratione trahunt Principes ad se omne aurum argentumque Provinciarum, curantque id fundi, conservantque in locis securis, nec inde unquam aliquid sumunt. Opinantur itaque multi Magnum Chamum thesauros immensos habere. Simili arte Presbyter Ioannes, dum grana salis piperisque expendi jubet tanquam

nummos; magnos quoq; thesauros accumulat. Potum nobilem conficiunt Tartari ex oryza, & aromatibus, inebriatque plus quam vinum; lacte acido (sicut & Arabes) delectantur, lacte quoque sublimato, quod multum ad inebriandum valet. Magni Chami potentia consistit primum in situ, quem munitissimum esse demonstravimus, in amplitudine regionum, in magnitudine civitatum, in abundantia commeatus, in copia redituum. Percipit inter alias res decimas ex lana, serico, canabe, frugibus, pecudibus; estque absolute Dominus rerum omnium: sed potentiæ ejus nervi consistunt in militia, quam semper armatam habet. Milites degunt semper in campis, quatuor aut amplius milliaribus procul ab urbibus. Vltra stipendium, quod à Principe recipiunt, faciunt etiam compendium ex suis pecudibus, lacte, & lana. Cum magnus Cham militibus opus habet, vocat ad se partem illius militiæ, quæ ad formam legionum Romanorum per Provincias disposita est. Tartari ut plurimum non peditibus utuntur præterquam Varcheni, qui Magno Cham non subjiciuntur. Præcipua eorum arma sunt arcus & sagittæ, quibus non minus fugiendo, quam aggrediendo nocent. In bello valde expediti sunt; eorum tentoria sunt ex lana coacta, quibus se tempore pluvio cooperiunt. Vivunt ut plurimum lacte, quod ad solem exsiccant, postquam butirum ex eo segregarunt & sanguine equorum, cum urget necessitas. In præliis non congrediuntur cominus cum hoste, sed nunc à fronte, nunc latere; verum perpetua sagittarum grandine ad modum Parthorum obruunt hostes. Qui se strenue gesserunt, remunerantur largiter honorantur que altioribus gradibus privilegiisque, donariis quoque. Excubant Magno Cham duodecim equitum millia, æstimaturque ipsum colligere posse multo majorem equitum numerum, quam ullus alius Princeps. Ejus vires duas singulares considerationes habent. Vna est multitudo copiarum, quæ ex amplitudine ditionis ipsius colligi potest: altera est promptitudo earum; perpetuo enim eos in ære habet, quæ res magni compendii est. Sicut enim in milite spectanda est agilitas potius quam robur, ita in exercitibus pluris faciendi sunt prompti expeditique, quam prægrandes & numerosi, illi autem Principes fortes, potentissimique habendi sunt, qui vires magnas expeditasque habent. Sunt enim hi tanquam aquilæ, tigrides, leones, aut pardi, quæ quidem animalia inter alia Principatum obtinent, non ob aliud quam propter agilitatem,

robori corporis adjunctam, ſuntque ijs duabus partibus equis, tauris, bubalis, etiamque elephantis quamvis multo majoribus ſuperiores. Vltra ea, quæ ſcribit Marcus Paulus, aliqui Angli, qui per mare Moſcoviticum, regioneſque vicinas in Cathajam penetrarunt, referunt res memorabiles de potentia majeſtateque illius principis, quem Moſci Cæſarem Cathaiæ, Turcæ Vlu Cham, id eſt magnum Principem vocant: Palatiorum ſiquidem magnificentia, amplitudine ditionis, opulentia theſaurorum, numeroque militum ſuperat omnes Aſiæ Principes regnatque tanta cum majeſtate, ut ſubditi eum Spiritum, umbram, etiam filium Dei immortalis, inepte dicant. Ejus verbum eis pro lege, in quo ſtat illorum vita & mors. Tuetur juſtitiam rigore notabili; criminis enim rei, excepta prima vice, qua virgis acriter cæduntur, ob omne genus delicti diſſecantur per medium. Videtur quod in eo ſequantur opinionem Stoicorum de æqualitate criminum. Fur quoque privatur vita, niſi nonuplum perſolvat, tam pro obolo quam pro aureo. In Imperium ſuccedit primogenitus, hac cum ceremonia. Præcipui ipſorum ſeptem generationum aut tribuum, induti albo (quo colore in luctis utuntur qui & Giaponenſibus mos eſt) Principem ſedere faciunt ſuper pannum nigrum, ex lana coacta, in terra ſtratum, dicuntque ei, ut Solem intueatur reverearturque Deum immortalem, quod ſi faciat, id ei in cœlo copioſius quam in terra remuneratum iri, alias ei vix pannum nigrum, ex lana coacta relictum iri, ſuper quem in campis recubet, eumque mille calamitatibus afflictum iri. Imponunt ei deinde coronam Magnateſque deoſculantur ei pedem, jurant ei fidem, honorantque eum muneribus ditiſſimis. Scribitur deinde ejus nomen literis aureis, reponiturque in templis majoribus urbis Metropolitanæ. Duos Senatus habet, unum bellicum duodecim prudentum, alterum Statuum totidem Conſiliariorum. Hi tractant omnia, quæ ad gubernationem ſpectant, curam gerunt eorum omnium, quæ ad pœnas & præmia pertinent. Non utuntur minori diligentia curaque, in remuneranda fortitudine officiisque præſtitis Imperatori, tam in pace quam in bello, quam in caſtigandis puniendisque iis, qui ſe male, aut negligenter geſſerunt. Iis duabus in rebus, nempe in remunerando & puniendo, conſiſtit tanta vis regiminis, ut dici poſſit, maximam Principum barbarorum partem, iis ſolis ſuam amplitudinem retinere. Quam enim aliam regendi formam habent Turca, Seriffus, Mogor, Perſa aliique?

Non

Non utuntur eo quam in rebus bellicis (paucos enim alios remunerantur quam milites & Capitaneos) imo nec ponunt fundamentum suorum dominiorum in alia re, nec collimant in pacem & quietem, sed in victoriam & potentiam aut amplitudinem in puniendo ignavos abjectosque, & omnem excedunt modum in remunerando fortes audacesque. Nunquam fuit Respublica, aut Principatus, ubi robori militari majora emolumenta, præmiaq; proposita fuerint, quam inter hos Barbaros. Sed magis inter Turcas, quam alibi: Tartari quidem Arabes, Persæque habent nobilitatem in aliqua æstimatione precioque: Turcæ excindunt extirpantque nobiles familias, nec aliud magni faciunt quam audaciam & fortitudinem ponuntque in manus mancipiorum, & gentis vilissimæ, si sanguis spectetur (tantum curent ut idonei inveniantur & pacesque præclaræ fortunæ) omne suum Imperium. Sed redeundo ad Tartaros, & ipsorum ritum regendi gubernandique populos: Astrologi illis regionibus magno in pretio esse videntur, scribitque Paulus, eorum in civitate Cambalu reperiri quinquies mille, & cum Cublai Cham ex illis cognovisset, illam civitatem rebellem futuram, curavit ædificari aliam, cui nomen est Taindu illi vicinam, quæ in ambitu 24 milliaria continet, præter suburbia, quodque in Palatio, quod in Xaindu habet, multi Astrologi & Nicromantici sunt. Astrologia judiciaria in China quoque magno in pretio habetur. Persiæ Rex Ismael paucas res magnas aggrediebatur, nisi consilio Astrologorum, nec mirum est (cum ea ars, in illis regionibus inter Assyrios & Chaldæos inventa sit) ipsam ibi adhuc florere. Turcæ eam parvi faciunt. Imperatores Romani eam sunt execrati & plus quam semel, ei cum suis professoribus indixerunt exilium. Vtinam ex Dei ecclesia exularet, nihil enim aliud est quam Stolo gentilitatis. Sed ut aliquid de qualitate populorum magno Cham subditorum dicamus: Tartari sunt universaliter statura mediocri, humeris & pectoribus longi, facie lati, naso simo, colore squalidi, compositione robusti, adversorum incommodorumque patientes, equis exercitati, usu arcuum dexterrimi. Sicut autem Arabum pars civitates incolit, dicunturq; Mauri, pars autem in campis degit vocanturque Baduini: ita & Tartarorum pars habitat civitates, tales sunt Cathagienses, Bocarenses, Samarchandenses: pars in campis vagando oberrat, dicunturq; campestres; dividuntur in Hordas, quarũ sunt quinque: Zavolhenses, Cossanenses, Præcopiti, Nagai, Cossachi, quamvis una horum pars oppida incolat. MA-

CAPVT XVI.
DE
MAGNO MOGOR.

REgio quæ inter Gangem & Indum eſt, ſemper magnis Monarchis ſubdita fuiſſe videtur; ut enim vetera taceamus, circiter annum Domini 1300. fuit in Regno Delij Princeps Arabs, ſecta Mahumetanus, cui nomen erat Sanoſaradin ut ſcribit Ioannes Baros. Tantum ei erat potentiæ & roboris, ut ſibi dominium Aſiæ parare tentarit. Relictis itaque illis regionibus, in quibus Indus & Ganges oriuntur, cum prægrandi exercitu, paulatim illos Principes populosque devicit, qui ſe ſibi opponebant, donec attigit regnum Canaræ, quod ſuper Caul ad fluvium Bate incipit, extenditque inter Gate & Sinum Bengalicum, ad Caput Comorinum uſque. Cum itaque tam præclarum dominium ſibi paraſſet, cogitavit concluſitque in regnum Delii reverti, relinquens in Canara, qui ſuas vices tueretur, Abdeſſam: hic victoriis ſui Regis fretus, ſuaque induſtria confiſus, eripuit Gentilibus maximam Canaræ partem, collegitque numeroſiſſimum exercitum, in quo erant Mahumetani, Gentiles, Chriſtiani; mortuuſque eſt, cum ei omnia proſpere cederent, duravitque ea proſperitas ad annos 20 reliquitque poſt ſe filium Mamudzam, quem Rex obire munus paternum paſſus eſt, ea lege, ut ei quotannis tributum penderet: hic nec de pendendo tributo ſollicitus fuit, nec Regi aliis in rebus obedire curavit. Accidit ut & Sanoſaradinus in bello, quod in Perſia gerebat, moriretur, filium adeo imbecillem relinquens, ut Mamudza ſe Regem Canaræ inſcribere auſus fuerit, vocavitque eum Decan, & populus, Decainos; quod nothos ſignificat. Inſtituit deinde 18 Capitaneos, diviſitque inter eos ſuum dominium dans unicuique ejus partem, cum conditione, ut certum equitum, peditumque numerum, ſemper præſto tenerent. Vt his autem occaſio rebellandi auferretur non eligit in Capitaneos, qui natalium ſplendore clari erant, ſed ex mancipiorum ſuorum numero: quod plus eſt, voluit ut eorum unuſquisque, in ſua civitate Regia Bider, pro ſua habitatione Palatium ædificaret, in quo ſui liberi manerent, & ipſi parentes, ut ſingulis annis, ſæpius ad ſuam aulam commearent. Cum autem omnis authoritas, quæ propriis viribus, & ſuorum immedi-

mediate subjectorum observantia non innititur parum diuturna est: ita huic etiam accidit, mancipiaque authoritatem sui domini sibi vendicantia ipsum neglexerunt, ut non secus ac statuam ipsum observantes, omni respectu & authoritate caderet ipse, nullamque jurisdictionem reliquam retineret, quam civitatem Bider cum suo district. Vnusquisque enim sibi armis arripuit jurisdictionem ejus regionis, cui vicario nomine præerat. Facti sunt itaque ex Capitaneis Principes, & qui potentia plus valebant oppressores eorum, qui minus poterant. Rediit itaque res ad paucos, quorum duo fama celebres sunt. Vnum eorum pertingit ad Cambajæ fines: alter Narsingæ conterminus est: ille Lusitanis Nissamalucco, hic Idalcane vocatur. Vterque eorum adeo potens est, ut anno 1571 Idalcane Goam cum 35 equorum, 60 elephantorum millibus, & 250 tormentis bellicis obsidione cinxerit; Nissamalucco autem obsedit Caul, cum minoribus viribus, sed fœliciore exitu. Quamvis enim hunc locum non expugnarit, eum tamen ad extremam necessitatem redegit, amisitque in ea obsidione 12 Maurorum millia. In iisdem regionibus, in quibus Sanosaradinus Imperii sui fines protulit, abhinc quinquaginta annis dilatavit suum Imperium Princeps potentissimus, quem Orientales populi vocant Magnum Mogorum, eo modo, quo nos Magnum Turcam vocamus. Sicut autem Rex Barmæ (de quo alias diximus) temporibus nostris, valde mutavit res regni Pegu & Siam, regionemque vicinam: ita & Mogor confudit, pessumdeditque Status ab hoc Gangis latere. Communis opinio est, Mogoros Tartaria oriundos esse, prodiisseque ex ea regione, quam antiqui Massagetæ inhabitarunt, qui invicti roboris in armis fuere; nam cum nunquam sub alieno imperio fuerint, ipsi amplissimorum regnorum dominium sibi paraverunt: contermini sunt Persis ad flumen Oxum, contenduntque, ut plurimum, cum ipsis bello, tum de religione, tum de Imperio: eorum civitas Metropolis est, Samarcanda, unde magnus Tamerlanus prodiit, ex cujus sanguine, se Princeps Mogororum gloriatur oriundum. Mogororum Principis, qui nunc ad clavum sedet, prædecessor nomen suum in Oriente illustravit Anno 1536 quum sollicitatus à Rege Mandao (cui Baburius Cambajæ Rex ditionem eripuerat) ex Septentrionalibus partibus, ei auxilio venit: duxisse secum bellatorum infinitum numerum

fertur, percipique id poteſt ex eo, quod Maffeus ſcribit de exercitu Regis Badurii, nempe hunc Regem, ſub ſignis habuiſſe 150 equitum millia, quorum 35 millia phalerati erant: peditum numerus erat quingentorum millium. Inter hos erant 15 externorum militum millia, & inter eos 80 Chriſtiani, partim Franci, partim Luſitani, qui via & modo mihi incognitis illuc pervenerant: navis illorum, quæ dicebatur, Dobriga, paſſa fuerat naufragium in plaga Cambajæ. Apparatus belli commeatuſque tanti erant, ut ſi juxta Europæ vires cenſeantur, credi non poſſit. Sed ſupra demonſtravimus cauſas, quare principes in Oriente & in Meridie exercitus noſtris multo majores educere poſſint, eadem quoque valent, ut quæ de bellici apparatus incredibili copia dicuntur, credibilia fiant; ſicut enim illi myriades hominum armis inſtruere poſſunt, quod ad eos paſcendos, armandoſque non multo opus habent, ita etiam inæſtimabilem commeatuum, machinarumque bellicarum copiam, accumulare poſſunt: nihil enim ducunt ſecum, quam quod bello neceſſarium eſt. Copia vini, diverſa edulia, aliaque ſimilia, quæ niſi magnis impenſis, labore, & moleſtia, vehi poſſunt, ab ipſis omittuntur: omnes ipſorum res ad belli uſus ordinatæ ſunt: æs, ferrum, chalybs, ſtannum ad fundendas machinas tormentaq; bellica: ferrum & plumbum fundendis ſpherulis, ferrum & chalybs fabricandis enſibus; boves elephanteſque trahendis tormentis, commeatus nutriendis exercitibus, metalla iis armandis, venæ minærarum redituſque iis conſervandis. Omnes illi Principes Tyranni ſunt, & ut ſua dominia conſervent, auguſtioraque faciant, premunt populum, traduntque omnia in manus militum. Vtque hi ſibi fidi ſint, faciunt eos rerum omnium dominos. Principes Mahumedani ſuis ſolis mancipiis favent, eorumque fidei committunt arces, expeditioneſque magni momenti. Ii fiunt autem ſæpe ſuis patronis rebelles, eripiuntque ipſis ſuas ditiones: ut earum poſſeſſionem retineant, exponunt prædæ populos. Neceſſarium enim eſt ut principum potentia, aut benevolentia ſubditorum aut aliorum innitatur: qui enim ab omnibus timetur, diu in ſuo Statu perſiſtere non poteſt. Tyranni autem, cum nihil boni ſibi de ſuis ſubditis (quos non tanquam ſubditos ſed ut mancipia tractant) polliceri poſſint, neceſſe eſt, ut militibus innitantur, demereantur eorum animos, promittendo libertatem

tatem, dandoque eis in prædam facultates ſubditorum. Turca fulcit ſe Ianizaris, qui non alium non dico patronum, ſed nec patrem norunt, ab iis diligi ſtudet, concedendo eis omnia. Multi principes Malavares habent populos loco pecudum: ſtabiliuntque ſua regna ſuper Naires. Reges Ormuzii, Cambajæ, Decan & Achen rerum ſummam mancipiis committunt. Vt finem faciam: ſicut legitimus Princeps juſtuſque curat, ut à ſuo populo diligatur, quo ab eo ſuffultus adverſus externos hoſtes, munitus ſit: è contrario, Tyranni ſcientes ſe à populo odio haberi, curant, ut à ſuis mancipiis & à militibus diligantur, quorum armis utuntur, tam ad deprimendos vaſſallos, quam ad procul arcendum hoſtes. Cum itaque ſtabilimentum ſuæ amplitudinis, ſuper milites Naires, Ianizaros, liberos aut ſervos, indigenas aut extraneos, quales illi ſint, conſtituant, neceſſe eſt, ut ſola militia ipſis finis ſcopuſque omnium rerum ſit, & ut ſe ipſos militibus, & appataru bellico inſtructos conſervent, nulli rei parcunt. Ut ad regem Badurium revertamur: ducebat cum numero militum, (quem diximus) mille tormenta bellica, & inter illa quatuor Baſiliſcos, quos trahebant tantundem boum centenaria, quingentos currus, pulvere pyrio, & ſpherulis onuſtos; ducentos elephantos armatos: ultra hæc, quingenta dolia auro & argento plena, ſolvendo ſtipendia exercitui. Sequebantur exercitum multi Principes dominique, cum eorum aulicis & ſequela, mercatores, annonarii, artifices, famuli innumeri; duobus tamen præliis à Mahamudio victus; fuit unum prælium in vicinia civitatis Doce factum eſt: alterum apud Mandao, ex quo mutata veſte, ut ſaluti ſuæ conſuleret, in Diu aufugit: cum ſe à metu recollegiſſet, miſit legatos ad Solimannum Turcarum Regem cum dono, quod ſexcentis aureorum millibus æſtimatum fuit, ab eo petens auxilium. Poſtea ſecum animo reputans, res ſuas magis prompto auxilio opus habere, iniit fœdus cum Luſitanis, qui ipſi magis vicini erant; utque eos amicos, ſociosque belli haberet, permiſit, ut in inſula Diu arcem ædificarent. Sed ut ad Mahamudium revertamur: ejus fortuna multum Tamerlanis ſui anteceſſoris ſimilis. Sicut enim hic Perſiæ Aſiæque tremorem incuſſit, nihilo minores turbas excitavit ille in India, & in Oriente: ſic ille prælio ſuperavit Baiazetem Regem Turcarum, vicit hic Badurium Cambajæ Regem, qui exercitum multo ipſius majorem, adverſus eum eduxit, ambo ſibi Magni cognomen pararunt.

Cum Mogori abundantiam Indiæ cognoviſſent, percepiſſentque ejus fertilitatem, occupaverunt eam paucis annis & perpetuo victoriarum curſu fere id omne, quod inter montem Caucaſum & mare intra Gangem & Indum jacet. Continentur eo ſpacio 47 regna: Adabar enim Mahamudii ſucceſſor, cepit Madabar, cum potiori Cambaiæ parte. Quanti momenti ſit hæc Provincia, in qua ſunt fama celebres civitates Madabar, Campanel (hæc civitas ſita eſt in monte, qui in media planicie attollitur) & Cambaia, quæ ſuum nomen Provinciæ communicat (hæc civitas ut ſcribunt, inſtruit 130 focorum millia) poteſt comprehendi ex iis, quæ de exercitu Regis Badurii, & de ejus apparatibus bellicis diximus, quibus, & de ejus fertilitate fieri poteſt judicium. Non eſt enim in orbe terrarum Provincia abundantior, ditiorque omnium rerum: nempe oryza, frugibus, leguminibus, ſacharo, bobus, pecudibus domeſticis omnis generis, feryco, diciturque in ea eſſe sexaginta millia municipiorum, qui numerus profecto permagnus eſt. Scribit Guicciardinus in Germania inferiori (quæ in 17 Provincias diviſa eſt) 280 oppida muris cincta, & 150 municipia eſſe, quæ civium iure & privilegio gaudeant & præterea 6300 pagos campanilia habentes. In regno Neapolitano ſunt 1800 partim oppida, partim caſtra. In Bohemia ſunt 780 partim arces, partim oppida & 32 pagorum millia. In Francia, ut ſcribit Iohannes Bodinus, numerantur 27 municipiorum millia, quæ habent campanilia, ultra ea, quæ in Burgundia ſunt, quæ eo tempore, cum aliis Provinciis deſcripta non fuit. Quamvis ex municipiorum alicujus regni numero, de ejuſdem potentia judicium abſolute faciendum non ſit, ſed id ex eorum amplitudine fieri debeat, eorum tamen numerus multum etiam ad rem facit; Cambaja autem propter utrumque pro regno ampliſſimo habendum eſt. Acabar acquiſivit ſibi quoque regnum Bengalæ, quod ditiſſimum eſt: unde in illa Orientis parte dici ſolet ibi tres reges eſſe: unum in Cambaja, alterum in Narſinga, tertium in Bengala; & ut quod verum eſt dicatur, Cambaja & Bengala, præſtant omnibus aliis Provinciis, territorii fertilitate, & concurſu mercatorum: ambæ ſacharo, goſſipio, pecudibus, elephantis, equis, eximie abundant. In Bengala quoque creſcit piper longum & zinziber: illam interſecat Indus fluvius nobiliſſimus; hanc Ganges totius orbis celebriorum fluminum unus, habetque duo emporia fama celebria, Satiganum nempe & Catiganum;

num. Possidet quoque Magnus Mogor regna Citor, Mandao, & Delly, ubi ipse habitat. Magnum habet elephantorum, equorum dromedariorum numerum, magnamque tormentorum, & bellici apparatus copiam, quibus se toti Orienti formidabilem tremendumque facit. Scribitur (ut summatim dicam) ipsum in campos educere trecenta equorum millia, & quod in suis ditionibus habeat quinquagesies mille elephantos. Rogabit aliquis unde accidat, cum hic Princeps adeo potēs sit, vicini autem fere inermes, quod sibi non paret dominum reliquæ Indiæ & totius Orientis? Obstant multa: unum est, quod sicut ingenium, & ars hominis in continuo labore, & motu esse non possunt, (nam perpetuo se movere posse, solius Dei, & naturæ est) ita & conatibus humanis cursus continuus dari non potest, & quamvis magna Imperia à viribus externis non infestentur, ipsa tamen sua mole ruunt. Rebus magnis concessum non est, in suo culmine stare diu minus perpetuo: crescunt, sed ea conditione, ut tandem decrescant, attolluntur in altum, sed ea lege, ut certus casus succedat: in se magna ruunt. Quanto autem magis crescit dominium tanto plus proclivitati & agilitati decedit: quamvis vires evadant majores, sunt tamen tractationi, ne dicam vibrationi minus aptæ: non movent se nisi lente; velocitas autem bello summe necessaria est. Conquisitorum magnitudo fert secum invidiam, curamque ea conservandi, securaque reddendi, & ut res conquisitæ bene stabiliantur, tempore opus est: interim armant se vicini providentque suis rebus, cum occasione autem fugit avolatque vincendi commoditas. Qui hostes vicit, timet, ut plurimum socios & participes victoriæ, & ut victor se de iis securum reddat opus est, ut expeditionem interrumput, & ut in medio cursu receptui canat. Vltra hæc victoriæ reddunt Capitaneos insolentiores, milites contumaces, & cum illi ultra progredi jubent, recusant. Accidit id Alexandro Magno & Lucullo. Nec debet prætermitti, quod magna molimina ad optatum finem perducta ditent quidem quosdam particulares, sed evacuant, ut plurimum Principis thesauros, qui retinent exercitus sub signis, redduntque animos paratos factionibus bellicis. Progrediamur; tam numerosus exercitus, quem Mahamudius duxit adversus Regem Cambalæ, non solum vastavit regiones quas pertransivit, & in quibus moram traxit; sed præcidit sibi ipsi media se sustinendi conservandique. Magni itaque exercitus, quamvis ab

hoſte non profligantur, conſumuntur fame, quam comitatur peſtilentia. Videmus itaque inundationes Attilæ, Tamerlanis, ſimiliumq; populorum, exiguo tempore duraſſe: e contrario autem Græcos, Macedones, Carthaginenſes, Romanos, & Hiſpanos, exercitibus potius exiguis, quam magnis, magnos progreſſus feciſſe. Res enim moderatæ durant fluviorum inſtar, qui quod uno anno non conficiunt, duobus aut amplius annis perficiunt. Immodicæ res, ſimiles ſunt torrentibus, qui plus ſtrepitus fragorisque, quam effectus faciunt, præcipitantur quidem, ſed ſuo impetu diſſipantur. Itaq; adverſus numeroſos exercitus, non aliud ſalubrius conſilium eſt, quam tēpus extrahere, ſuique defenſioni tantum incumbere. Certum enim eſt illos non diu ſubſiſtere poſſe, neceſſeq; eſſe, ut brevi commeatuum & pecuniæ defectu, aut propter infectionem aeris, aut morbos diſſolvantur. Quod plus eſt: res proſperæ extæcant homines, adverſæ autem reddunt eos cautiores. Fiunt itaq; res victoris deteriores, victorum autem meliores. Id quoq; eſt perpendēdum, quod ſucceſſu temporis parantur victoriæ, quo tempore ſenium contrahit Princeps; corpus autem afflictum, delaſſatumq; extinguit animi vigorem, qui ad expeditiones bellicas ſumme neceſſarius eſt. Hujus rei fidem faciunt, Iulius Cæſar, & Imperator Carolus V. Obſtat quoque progreſſibus Mogori locorum natura. Caucaſus enim diffundit ſe in illis confiniis, mille ramis, quorum aliqui terminant regna, aliis non ſufficit terminare, ſed & cingunt ea, muri inſtar, alii concludunt ea prorſus, alii autem reddunt tranſitus difficiles. Magis nocent eæ difficultates Mogoris, quam aliis, quod nervi roburque ipſorum militum in equitatu conſiſtit, qui ſicut in campis valet dominaturq;, ita eſt exigui momenti in montibus. Hujus qualitatis ſunt confinia Perſiæ, inter alia regnum Sableſtan, quod undequaque cinctum eſt, illa Caucaſi parte, quam Græci Paropaniſum dixerunt. Nec minus ambitur montibus Sigeſtan, ita ut fluvius Ilmento per eam vix viam inveniat. In ipſa Cambaia, ubi Mogori adeo potentes ſunt, non ipſos timent Refbuti, qui ſe in montibus munierunt; ſunt hi reliquiæ nobilium Gentilium, qui ſe in montes inter Cambaiam & Diu contulerunt, cum Cambaja primum à Mahumetanis occupata fuit, conſervantq; armata manu ſuam libertatem, inferuntq; ſæpe planiciei damnum. Sunt ibi adhuc aliæ regiones ſteriles, omniumq; rerum, non aquæ ſolum, indigæ. Ejus generis eſt Dolcinda, ad fines Cambaiæ, per quam ex-

tercitus

exercitus duci nó possunt. His adjungitur temporis jactura, quã Principes (quibus magnum dominium est, voluntq; suscipere expeditiones) necessario faciunt itineribus. Æstas enim elabitur antequam eo, quo tendunt, cum equis semienecatis, exercituque hominum numero multum diminuto, viribusque valde debilitato pervenerint, ingruitq; hyems, quæ ipsis adversa, hostibus commoda est, ille enim in campis inter lutum & glaciem castra metatur: hic autem degit sub tecto, commodeque se habet. Inde accidit, ut omnes Principes, qui magnas expeditiones faciendas susceperunt, propter incommoda, quæ occurrunt ducendo magnos exercitus, ex una regione in aliam coacti sint classes instruere, & fluminib9 aut mari uti. Huj9 rei dedit præclarissimũ exemplũ Cæsar Germanicus in bello Germanico; vidēs enim tempore, (quod consumebatur movendo exercitũ) incommodis, laboribusq;, & itinerum longinquitate qvoque viros equosque absumi, resq; nimis in longum protrahi, conclusit instruere classem. Mogoro autem nullæ prorsus navales vires sunt, ab una parte, nullos portus habet, ab alia ei sunt vicini Lusitani, qui duabus maximi momenti arcibus, quarum una est Diu, altera Daman, obstruunt totum Cambajæ Sinum. Vltima causa, quæ illorum Tartarorum progressibus obstitit, est finitimorum potentia, quæ impedit, ne se Orientem versus extendant. Regem Barmæ habet ibi vicinum, qui nec potentia nec viribus ipsi cedit, in tot enim regna, regionesque dominium obtinet, imperatq; populo adeo feroci pugnacique, tantumq; eorum numerum in campos potest educere, ut vicinorum meminem timeat. Si autem Mogor extendit sui Imperij terminos, intra Gangem & Indum non minus dilatavit hic suos terminos inter Gangem & Siam. Denique crescentibus ingeniis, quibus hostes offenduntur, crescunt consequenter modi, quibus se defendunt fitque imperium humanum modulo majus. Ducitur enim pronius à natura ad defendendum, quam ad offendendum. Naturæ enim magis curæ est conservare, quam destruere. Imo nec permittit quidem aliquid corrumpi, nisi ut conserver. Dici non posit quantum homo subtilitate, industriaque valet, ut se resque suas defendat. Vtitur enim ad defensionem, non solum eo, quod sibi proprium est, sed & omni eo, quod ad offendendum pertinet: nec posset reperiri aliquod instrumentum offensioni aptum, quo non etiam ad defensionem uti posit. Illæ itaque arces, quæ nimis coopertæ rectæque sunt, inter meliores non cēsentur.

sentur. Tollunt enim defensori commoditatem offendendi vexandiqve hostem, faciendi excursiones, utendi tormentis bellicis, igne artificioso alijsqve ejus generis inventionibus. Sed quæ res est magis admiratione digna, quam ingenium fortificandi? quid magis subtile, quam sermo qui de fortificatione habetur, nempe de cotrinis propugnaculis, lateribus, vallis, fossis, contramuris, cuniculis, aggeribus intrinsecis, casemattis, contraminis, diverticulis similibusque inventionibus? Est ne res aliqua quæ exactissime excussa non sit? Hæc ars efficit, ut pauci multis resistere possint & ut exiguus locus, sed munitus, vires, & thesauros potentissimi Regis consumat parva bellica arx potentiam magni Imperij fatiget, debilemque reddat. Hac arte octingenti Lusitani ante aliquot annos eluserunt conatus, impetumq; Magni Mogori, ad Daman in ora Cambaja, qui locus illorum est. Paucis abhinc annis, per celeres equos ab Emmanuele Sosa Cotigna, Prorege Indiæ, Regi Catholico nunciatum fuit, quod Magnus Mogor 60. Idolorum templa excidi jusert, dicens ea (idola) nullius esse efficaciæ, accersivisseque concionatores, qui ipsum instrucrent, baptizarentque, & quod modo duo ejus filij baptizati essent.

CAPVT XVII.

De

REGNO CHINÆ.

REgni Chinæ Imperium olim multo latius fuit, quam nunc est Deprehenditur enim ex historiis ipsorum (quibus memoriam rerum ibi factarum per bis mille & amplius ter centum annos conservarunt) & aliis eorum scriptis proprio idiomate editis, (quorum adhuc fragmenta supersunt) Reges eorum dominos fuisse fere totius oræ maritimæ Asiæ à Freto Aniano ad regnum Pegu usque, & regnorum Melitaij, Bacam, Chalam, Baragu, (quæ ad Septentrionale latus Pegu sunt) vicinorumque illorum, ubi adhuc eorum opera, cum epitaphiis & aliis eorum monumentis reperiuntur. In dictis omnibus regionibus, adhuc reliquiæ ceremoniarum veteris religionis observantur, quibus tradebatur scientia rerum Mathematicarum ut est anni in menses divisio, Zodiaci in 12. signa & aliarum hujusmodi rerum, quæ monumenta sui Imperii sunt. Nec adhuc longum

tempus

tempus præteriit, cum omnia illa regna Regem Chinæ pro Monarcha habebant, ei quoquo triennio mittentes Legatos cum donis: Legati ad minimum quatuor esse debebant; nam antequam ad aulam, quo mittebantur perveniſſent, ob locorum diſtantium difficultatē audientiæ, & moram in expeditione moriebantur duo, & quamvis morbus ipſos non confeciſſet, Chinenſes mortem eis veneno, (quod in aliquo publico epulo ipſis dabatur) accelerabant ponebantque eis ſumptuoſa ſepulchra, quibus nomen Legati, & à quo miſſi erant, inſcribebatur. Id omne fiebat ab ipſis, ut memoriam ſui Imperii potentiæq; æternam redderent. Nec minus protulerunt ſuam potentiam in vaſto illo Oceano, quam in Continenti: Chinenſes enim primi in Inſulas Orientis dominium obtinuerunt: poſt eos Giavi illarum dominium ſibi pararunt; deinde Malacenſes & Mauri. Tandem Luſitani & Caſtellani adepti ſunt illarum Inſularum partem. Sed nulla illarum nationum potentiam Chinenſibus parem habuit; ipſi enim præter Inſulas Chinæ vicinas, quæ cum propter multitudinem, tum propter magnitudinem, fertilitatemque in maximam partem Inſularum illius immenſi Archipelagi ad Zeilan uſque magni ſunt momenti, dominium obtinuerunt, ubi idioma Chingallum reliquerunt, ſicut & in terra Continenti ei oppoſita. Legitur quoque in aliquibus Relationibus Patrum Ieſuitarum, in una parte Inſularum Divi Laurentij inveniri populum album, quem à populis Chinæ originem trahere dicunt. Chinenſes primi Inſulas Molucas detexerunt, dedereque nomen Garyophillis: deduxeruntque colonias in multas Inſulas, quæ adhuc nomen ſervant, nempe Battachina à Muar, Barta China Mauri. Bate enim oppidum, Batta China oppidum Chinenſium ſignificat. Æſtimatur quoque habitatores Iavæ ab iis originem traxiſſe. Vt quod verum eſt dicatur: videtur magna ſimilitudo in ipſorum vivendi, veſtiendi, ædificandi ritu, induſtria mercaturæ, & artificiorum ingenio. Cum autem Chinenſes in Freto Zeilano claſſis 80. navium jacturam feciſſent, ultra alia infortunia, perpendentes ſimiles expeditiones, ſuis rebus damnoſas eſſe concluſerunt eas prorſus miſſas facere, regrediq; in ſuos ſinus: ut hæc concluſio rata eſſet, pœnam capitis ſtatuerunt in eos, qui in illas partes navigarent. Reges Chinæ bello alios offendere prorſus abſtinent. Vt verum dicatur: cum ipſi fœliciſſima regione potiantur, ubi terræ fertilitas cum hominum inæſtimabili induſtria certat, cui nihil deeſt, multaque e-

orum usibus abundant, cur consumerent suas opes, in faciendis acquisitionibus suo Statui parum profuturis? Cur absumerent propri-as vires, & substantiam, ut acquirerent aliena? Quid piscarentur reti aureo? Carthaginenses, sicut scribit Polybius, simili fere modo exonerarunt se una parte rerum prius partarum. Romani cum secundo bello Punico jacturam fecissent maximarum classium, præ desperatione valedixerunt mari. Postea autem videntes, quod qui mari dominarentur, quoque terra prævalerent, rursus novas classes instruxerunt, quibus tandem hostibus superiores fuerunt. Quamvis hæc Chinensium resolutio hodie prudentiæ non asscriberetur, tamen pro maxima sapientia habenda est. Cum enim major fatuitas non sit, quam tua perdere, ut rapias aliena: destruere fines proprij Regni ut invades aliena: profundere sanguinem vitæ necessarium, ut hauri-as alienum, Regium magis, & Principis opere dignius est, conservare, (sicut alibi diximus) quam dilatare; conservatio enim Statuũ dat eis essentiam, ampliatio autem eo spectat, ut eis bene sit. Ad quem finem autem se macerabit aliquis, ut sua ampliora reddat, si ampliatio Statuum non solum non efficit, ut bene commodeque eis sit, sed destruit id quod ante bene erat. Ad quid expendet proprium pro alieno? Rem quæ jam subsistit pro incerta & quæ accidere posset? Necessarium pro utili? quare debilitabit suam personam, ut major fiat? Princeps sapiens debet alienus esse ab iis expeditionibus, quæ ipsum securum non faciunt, aut insigne commodum secum ferunt; securitas enim Status est una basis, in qua subsistit: quod studet acquirere est ut securior sit: Securitatem autem adferunt acquisitiones angustiarum, claustrorum, viarum, rerumque oportunarum, ut hostem lõge à te submoveas. Vtilitatem commodumq; adferunt eæ regiones, quæ pecuniis ditant, aut commeatibus apparatuque bellico, rebusque talibus instruunt. Sed ad Chinenses revertamur. Quando illud sapientiæ plenum decretum fecerunt, liberos dimisere populos, qui eis subjecti erant. Aliqui tamen eorum manserè feudatarij, & sub illorum umbra, inter quos fuere Reges Coreæ Lequij, Cauciuchinæ, Siam. Quamvis autem (ut diximus) se inter suos terminos finesq; Chinenses reduxerint contulerintque, possident tamen regionem paulo minorem, quam Europa est; extendit se enim à Septentrione Meridiem versus à 17. gradu ad 52. usq;, quo spacio continentur 35. gradus. Ab Ortu ad Occasum sunt gradus 22. Pacquin in qua degit Rex,

est in

est in 48. gradu nostri Poli. Dividitur China in 15. Provincias, harum sex sunt maritimæ nempe, Centan, Foquien, Chiquean, Pantora Naquij, Quincij: Mediterraneæ, Quichiu, Iuana, Quancij, Snivam, Fuquam, Cansij, Xianxij, Nonam, Sancij. Provinciæ Quinci, Cantanor, Foquem, à mediterraneis divisæ sunt monte, nostris Alpibus simili, nec plus quam duo itinera ibi reperiuntur, quibus ad se mutuo meant. Thomas Perezius Legatus Regis Lusitaniæ Emanuelis, à Cantan ad Nanquij consumsit quatuor menses, Septentrionem versus semper tendens: attamen Nanquin ad Septentriones magis est. Ad amplitudinem confinium supra dictam accedit fundi fertilitas incomparabilis: producit enim quidquid ad delicias & delectamenta non ad necessitatem solum & ad usum humanum facit. Multæ plātæ bis aut ter in anno fructus reddunt. Ad id facit fluviorum frequētia, aquarum copia, quæ totam regionem, non solum navigabilem facit, sed & ita irrigat eam, ut amœnissimus hortus videatur. Ea fertilitas geminatur duplici via: una quod Rex nullis sumptibus parcit, ut tota Regio undique irrigari possit, secando asperrimos montes, ut fluminibus transitus pateat, æquando profundas valles, corrivando aquas lacuum & fluminum multis modis. Cum itaque nullo loco deficiat calidum, quod tota fere regio intra Zonam temperatam contineatur, nec humidum (quo natura benigna & hominum industria eam irrigat) luxuriant omnia, plus quam credi posset. Nullus alibi locus est ubi propagatio plantarum & pecudum majores progressus faciat. Altera fertilitatis causa est, segnes severissime castigantur, nec hic prorsus otiosi tolerantur, unusquisque aliquid facere cogitur, nec relinquitur palmus terræ, qui non colatur, nec dragma materiæ, quæ non formetur. In Cantan inter alias res notatu dignas numerantur quatuor cæcorum millia, qui terendis frugibus & oryza occupantur. In China habet unusquisque quod agat, secundum ejus vires, hic manu, ille pede, oculo, lingua aliquid agit: iis solum in Protodochijs publicis locus est, qui prorsus membrorum omnium impotentes sunt, nec affines habent, qui eis succurrere possent. Stercus humanum (taceo alia) hic venditur. Vt se nemo excusate possit, quod nihil agere norit, uuusquisq; artem paternam exercere cogitur. Cum itaque filij in artibus paternis quodammodo nascantur, obligatique sint eas exercere, addiscunt fere eas antequam id perceperint, idque perfectissime. Qui sibi in terra victum non potest parare,

rare, facit id mari, id enim non minus frequenter habitatur, quam illa: vivuntque infinitæ familiæ in fluminibus, in cymbis nec post longum tempus in terram descendunt. Horum aliqui vehendo, aut trajiciendo personas mercesque, merent: alij officinas sibi parant: alij hospitio excipiunt iter facientes: in medio fluviorum reperitur, quidquid ad amictum aliasque commoditates vitæ civilis facit, non ad cibum alimentaque solum. Multi nutriunt in navibus magnum pullorum numerum, præcipue anatarum. Ad fovenda ova excludendosque pipiones matribꝰ non utuntur, sed temperato igne, fere sicut in Ægypto, singulariter autem Alcairi fit: tenent has aves noctu in cymbis, mane in campos oryza seminatos emittunt: cumque se magno rusticorum commodo herbis noxijs paverint, ubi nox ingruit, ad sonitum cymbani aut tympani ad suas caucas redeunt. Multi vivunt vehendo pisces fluviatiles & marinos in Provincias mediterraneas; vere enim dum turgent flumina, ob aquam pluviam & nivem liquescentem, confluit piscium marinorum incomparabilis copia ad ostia fluviorum, ubi piscatores eorum incredibilem copiam capiunt: eos navicularij fluminum, paruo emunt à piscatoribus, convehuntque (in quibusdam vasis ad id idoneis pascendo illos, ac sæpe recenti aqua reficiendo) in regiones longissime ab Oceano dissitas. Ibi venundantur, mittunturque in latas civitatum fossas & in vivaria, in quibus toto anno perdurant, serviuntque Chinensium mensarum delicijs, pascunt pisces stercore bubulo aut columbino. Vt finem faciam: cum civibus vetitum sit finibus excedere, nisi cum venia (quæ pro cento tantum tempore permittitur) necesse est, ut crescente quotidie progenie, innumeri incolarum cœtus excrescant. Ab ipsis observatum est, vice quinque morientium, adnasci septem. Adde, in his regionibus tantam esse cœli benignitatẽ, aëris que salubritatem, ut non meminerint, ibi aliquando pestem universalem fuisse. Ne autem aliquis existimet, bonum aliquod alicubi inveniri, cui non tantundem calamitatis, rerumque adversarum rependatur. Accidunt in China terræ motus, qui plus damni quam pestis faciunt; absorbent enim integras civitates, desertas reddunt regiones, conduntantiqua flumina, & recondunt nova, montes solo æquant, faciuntq; miserandam stragem illiꝰ populi. Anno 1555. erupit è terræ visceribus tanta aquarum copia, ut 180 milliaria inundaverit, diglutivitq; civitates cum earum villis: qui aquas evase-

rant

tant, illos ignis cœleſtis conſumſit. Numerantur in China 150. civitates, 235. magna oppida, 1154. caſtella. 420. urbes abſq; muris, in quibus milites degunt. Villarum pagorumque quorum aliqui habent mille focos, numerus iniri non poſſet; tantum enim undiquaque populi eſt, ut univerſa China una civitas videatur. In ea ſunt duæ Metropolitanæ civitates Nanquin & Panquin: in hac (quæ Regia Septentrionalis interpretatur) nunc habitat Rex, iſtique ſubſunt 7. Provinciæ, huic octo. Ambæ adeo amplæ ſunt, ut uno integro die equites, priuſquam ab uno capite ad aliud pervenias. De numero habitatorum Chinæ nihil affirmari poteſt, ſecundū autem quod ex relationibus manu ſcriptis extat, & ore refertur, colligitur 70. Milliones animarum excedere. Hæc profecto res magna eſt, nec creditu facilis illi, qui cum regnis Chriſtianitatis illum numerum conferre, & ex illis æſtimationem facere velit. Italia non accedit ad novem Milliones. Nec Germania (excludendo Helvetios & Belgas) ad plus quam decem, nec additis duabus dictis Provincijs excedit quindecim Milliones, quem numerum forte conficiet Francia. Hiſpania populo infrequentior eſt Italia. Sicilia habet unum Millionem & tercenta hominum millia. Anglia tres Milliones. Tantundem numerantur in Belgio: quamvis belli diuturnitate numerus Belgarum multum imminutus ſit. Non tamen incredibilis ille numerus (quem habitatores Chinæ conficere diximus) videbitur, ſi conſiderentur ipſius amplitudo, fertilitas & loci habitatio. Ea enim Provincia adeo ampla, & tot habitatoribus frequens eſt, ut minor incolarum numerus ei tribuendus non ſit. Tot habet urbes & tam amplas, aliaſq; civitates, ut tantum numerum capere & excipere poſſit. Eſt quoque adeo copioſa, rerumque omnium copia, partim naturæ beneficio, partim hominum induſtria abundans, ut tantum numerum paſcere poſſit. Nos Itali nobis ipſis egregie imponere ſolemus, cum opinamur Italiam omnibus univerſi Orbis regionibus præſtare, nobiſque perſuademus nullam Provinciam, nec opulentiorem eſſe nec frequentius habitari. Nec perpendimus Italiam longam anguſtamque eſſe Provinciam, non ſpacioſam nec capacem: nec quod duæ tertiæ partes flumen navigabile non habent, qui defectus admodum prægnans eſt: nec quod quartam partem occupat Apennin9, qui mons ut plurimum aſper & parum frugifer eſt. Quod ad fertilitatem Italiæ attinet, cui ejus parti cedit Francia copia frugum & pecudum? Aut An-

glia frugibus, pecudibus, lana, piſcib9 & metallis; Aut Belgium multitudine & amplitudine civitatum, varietate artificiorum, opibus & mercatura; Aut Græcia pulchritudine & oportunitate ſitus, & maris portubus aut regionibus perpulchris? Aut Hungaria pecore, equis, vino, frumento, piſcibus, minæris, omni deniq; bono? Sed nolo in his enarrandis me detinere diutius quam neceſſe eſt. Longobardia tertiam tantum Italiæ partem occupat. Sed cum explicetur pulcherrimis planiciebus, irrigeturque amœnis fluminibus, nec montes aſperos, nec campos arenoſos habeat tantum populi, quantum dimidium Italiæ habet. Quid autem dicemus de Francia, Auſtria, Germania inferiori, Pannonijs, alijſque, quæ omnifariam planæ, opimæ, extremeque delitioſæ ſunt? Concludamus ergo: cum China non minus amplum ſpacioſumque regnum ſit, quam munitū, ſibi junctum, plenum populo, annona & opibus, pro uno maximorum imperiorum, quæ unquam fuere habendum eſt. Chinæ regimen Deſpoticum plurimum refert. In tota China, nullus eſt alius dominus præter Regem. Ignorant quid Comes, quid Marchio, quid Dux ſit, Nulli alteri tributum aut vectigal penditur quam Regi. Confertis omnes Magiſtratus, etiam nobilitatem? Dat eis, quo ſe ſuſtentant nec aliud ponderoſum faciunt, cujus ipſe certior non fiat. Non ſicut Regi tantum ei obeditur, ſed & veneratur ſicut numen. In unaquaque Provincia eſt Regis effigies aurea, quæ velo operitur, præterquam novilunijs: tunc detegitur, viſitatutque à Magiſtratibus, inflectuntque genua coram ea, tanquam Rege ipſo. Nec ſolus Rex reveretur, ſed & Præſides, ipſiq; judices ita honorantur, ut cum eis nemo loquatur, niſi genubus inſidens. Hac re vileſcunt admodum animi populorum, facitque eos mancipia potius quam ſubditos Principis. Exteri (quod eorum converſatio conſuetudoq; aliquam mutationem, aut aliquid novi in regimine introducere poſſet) non admittuntur in regnum: concedunt eis autem aliquid commercij in oris maritimis, ut diſtrahant divendantque annonam, & opificia quæ ipſi fecere. Mercatores qui hic verſantur, mercaturamq; terra exercent, multi ſe coadunant, unumq; inter ipſos Principem conſtituunt, cui titulum Legati dant. Hac cautela intrant regnum, ſed Officarij & miniſtri Regis nunquam diſcedunt ab eis. Indigenæ non poſſunt regione excedere, niſi permiſſu nec conceditur permiſſio, niſi ad certum tempns. Vt de reditu ſecuri ſint, non dant facultatem

exeun-

exeundi. nisi exercendæ mercaturæ gratia, navigando in navibus 150. vasorum capacibus, suspicantur enim eos multo longius navigarutos, si majores naves concederentur. Vt finem faciam. Hujus regni lex est, ut ad nihil aliud, quam ad pacem & conservationem Reipublicæ colliment. Ideo floret hic Iustitia quietis mater, deinde Politia magistra legum, denique industria pacis filia. Non aliud regnum, nec dominium antiquum nec novum illo magis politicum est. Plus quam bis mille annis (sicut ipsi suis historijs docent) regitur China ijsdem legibus. Nos miramur Rempublicam Venetam constitisse jam 1100 annis, regnum Franciæ autem jam se per 1200. annos conservasse. Circiter ducenti jam anni sunt, cum China à Tartaris oppressa pertulit eorum dominium circiter 90. annis. Chinenses seipsos magni faciunt in rebus civilibus & politicis, quibus prorsus invigilant. Solent dicere se habere duos oculos, Europæ populos unum, cæteros nullum. Ita honorifice de nobis loquuntur, quod ipsis noti sint Lusitani, cum quibus mercimonia exercent in Macao & alijs locis, & propter famam Castellanorum, qui ab ipsis non longe absunt, in Philippinis insulis nempe. Ex frequentia populi (quam docuimus) fieri potest judicium virium Chinæ, in ea enim consistunt omnes aliæ vires. Sed aliquid in particulari de iis dicamus: Potentia Regis Chinæ (quod suo contentus omnem invasionem abhorret) defensioni magis, quam offensioni prona est & aptior, ut sua conservet, quam ut ea augmentet. Civitates ut plurimum ad flumina navigabilia sita sunt, habentque fossas profundas largasq;, muri earum tum è lapide fossilitum coctili sunt, adeo firmi solidiq;, ut credi vix possit. Turres non desunt, nec propugnacula quam optime instructa. Ad fines Tartariæ, ut securi essent adversus potentiam talium hostium, qui quondam Chinam ingressi eam subjugarunt, murum qui initium habens, ad civitatem Ochioi, (inter duos altissimos montes positam) extruxerunt, extendit se ad sexcenta milliaria Ortum versus, donec ei alius mons occurrit, qui ad Oceanum usque protenditur. Ad regni fines videntur frequentes, sed parvæ arces, eæ erectæ sunt, ut hostem sistant, donec concurrant vicina præsidia & deinde Regius exercitus. In quadringentis magnis pagis magnum populi numerum quotidie stipendia merentium habet Rex. Hi ad minimum indicium in eam partem, qua necessarium est, tendunt. Unaquæque civitas suos Præsidiarios, & suam custodiam

adpor-

ad portas habet, eæque non clauduntur solum, sed & suo tempore obsignantur, nec aperiuntur antequam sigillum diligenter recognitum sit. Eorum militia cum equestris, tum pedestris, tam terrestris, quam maritima, numerosa potius, probeq; instructa apparatu bellico rebusque necessariis, & quod maximum est, probe ordinata est, quam fortis & vegeta. Indigenæ enim cum propter nimiam mollitiem regionis, tum propter formam regiminis, quæ ipsos viles, timidos, abjectosq; reddit, audaciæ animique parum habent: externo subsidio non utuntur, præterquam illorum quos bello ceperunt, quos in citeriores regiones mittunt, ubi signum gestantes (quod ipsos ab alijs distinguit) serviunt, sed animo mancipiorum potius quam militum, stipendia certa eis persolvuntur, nec præmia virtuti, nec pœna ignaviæ desunt, quod magnæ efficaciæ est. Qui militiæ adscripti non sunt, arma habere non possunt. Maritimæ vires terrestribus non sunt inferiores; nam præter classes ordinarias custodiæ & securitati oræ maritimæ destinatas (cum China fluminibus navigabilibus tota abundet, oraque maritima portubus insulisque instructa sit) facile est, cum urget necessitas, colligere à quingentis ad mille magna navigia, quæ ipsi Giunchi vocant. Non desunt stipendio persolvendo pecuniæ, nec ad delectus faciendos, retinendumq; majorem, quam credi posset numerum navium militumque; asserunt enim multi, reditus regales ad 120. aureorum milliones accedere, qui numerus quamvis incredibilis videri ei posset, qui ex Statibus Europæ, Chinæ æstimationem facere velit, fidem tamen facile inveniet apud illos, qui considerabunt sequentia, nempe amplitudinem & naturam Provinciæ (quæ Europa paulo minor est) frequentiam habitatorum, quam consequitur inæstimabilis opulentia, diversitatem & divitias minærarum auri, argenti, ferri aliorumque metallorum, inexplicabilem copiam mercimoniorum, quibus mire favent tot flumina navibus pervia, tot sinus & brachia maris, emporia, portus maritimi, telonia, vectigalia mercium, tributa personalia & similia. Percipit inter alia decimam omnium, quæ terra producit, ut sunt omnis generis frumenta, hordeum, oryza, olivæ, uvæ (sed non premunt uvas, ut vinum extorqueant) gossipium, linum, lana, sericum infinitum, metallorum omne genus, germina infinita, pecudes, sacharum, mel, rhebarbarum, camphora, cinnabaris, glastum, odoramentorum multa genera & inter ea muschum. Vectigal solum salis

salis civitatis Canton,(quæ nec ex maximis, nec multi commercij est) reddit aureorum 180 millia. Decima oryzæ unius mediocris oppidi, jurisdictionis supra dictæ civitatis, reddit plus quam centum aureorum millia: inde aliarum rerum æstimatio fieri potest. Percipit tributum ex lucro meretricum: subditis nihil præter victum & amictum relinquit. Nullos sub se Comites, aut dominos alterius generis habet, nec privatas personas, quæ opulentæ sint. Cum itaque regnum immensum sit, redituſque fere omnes in Regis manu sint, mirum nō est, si ipse inde aureorum numerum incredibilem percipiat. Duæ præterea res hanc summam redituum credibiliorem reddunt: Vna est, quod non omnia solvantur in pecunia sed pars in rebus nēpe fœno, oryza, frugibus, palea, serico, gossipio; altera causa est, quod Reges 120 millionum, quas percipiunt, tres partes expendant, dum itaq; è manibus Regis exit, quod à populo percepit, nemini mirum videri debet, quod populus ipsi id quotannis reddere possit. Sicut enim aqua tantum descendit, quantum se in altum extulit, ita & tributa, facile tantum inferre possunt, quantum Regi in sustentaculum suorum expendendum est, ipseque populus tantum Regi pēdere potest, quantum ipse in regno expendit. In regno dico, si enim extra regnum expenderet angariæ dupliciter consumerent populū, nam ex ejus manibus elaberentur pecuniæ facultatesque, neq; spes supereſſet alicujus emolumenti, aut fructus alicujus. Sed hac de re satis diximus in rationibus Status. Nullius Principis potentia Regi Chinæ terra timenda est, præterquam Magni Chami Tartari; omnes enim alij, ipsum pro supremo domino agnoscunt: adversus hunc hostem curarunt Reges præteriti strui stupendum illum murum. A maris latere Rex Chinæ conterminus est Iaponibus & Castellanis. Iaponia varie distat à China; à Foto Iaponiæ insula, ad civitatem Liampo, numerantur 60. Leucæ: à Cantone 297 Iaponenses divexarant oras maritimas Chinensium incursionibus, in terram descendentes, ut deprædentur regionem, ita ut magis latrocinia exerceant quam quod quid bello agant. Cum enim Iaponia in plures insulas, & in varios Principatus inter se fere dissentientes divisa sit, nō nisi invalide contra regnum Chinæ movere se potest. Iaponenses animis armisque Chinensibus præstantiores sunt. Dicitur Nabunangam, qui se hodie pro domino magnæ partis Iaponiæ gerit, in animum habere in Chinam expeditionem suscipere. Ab alia parte jungunt

Chinenſium fines cum inſulis Philippinis quas poſſident Hiſpani, qui Chinenſibus admodum ſuſpecti ſunt, nec id absre. Sunt enim Philippinæ ſitu valde commodo ad vexandum Chinam: Hiſpanis quoq; probe notum eſt, quam dives ſit illud regnum. Rex Hiſpaniarum Philippus omnes vias tentat, ut tranquille recipiatur Evangelium, videturq; Dominum Deum noſtrum modo aliquam portam aperuiſſe. Quamvis enim Chinenſes, in ſuã ditionem exteros non admittant, ſicut alibi diximus, attamen aliqui Patres Ieſuitæ, moti intenſo deſiderio gloriæ Dei, & ampliationis ſuæ ſanctæ legis, in campo adeo ſpacioſo, qualis ille eſt magna arte, nec minori patientia regnum Chinæ ſunt ingreſſi, comparataq; ſibi aliquorum Magiſtratuum benevolentia, obtinuerunt privilegium naturalitatis, præcipue Pater Michael Rogerius: venit hic in Europam anno 1590. ut referret, quid illic ageretur. Dum ego hæc ſcriberem, allatæ ſunt Significationes à duobus Patribus, qui in regno Chinæ remanſerant, quibus ſignificabant, ſe diverſas perſecutiones paſſos, tandemque coactos fuiſſe, civivitate, in qua habitaverant aliquoſque converterant excedere, & maritima verſus ſe conferre. Luſitani ipſis quoque aliquantulum ſuſpecti ſunt; ii mercimonia in illo mari exercendo, primum fidem ſibi conciliarunt, auſpiciis Ferdinandi Andradæ, propter ſignificationem juſtitiæ, & moderationis, quam de ſe, in inſula Tamo dederat. Hic primus omnium Luſitanorum, in civitatem Cautam venit, expoſuitque in terram Thomam Petreium Legatum Emanuelis Regis Luſitaniæ; ſed eo poſtea delati alij Capitanei pravis ſuis actionibus moribuſque occaſionem dedere, ut Legatus pro exploratore captus fuerit, & in carcere detentus, ubi miſerabiliter ſuos dies finivit, cum aliis autem, tanquam cum hoſtibus actum fuit. Tandem poſt multos annos conceſſum fuit Luſitanis, ut ſedes figerent (mercimoniorum gratia) in parva inſula Macao, in qua fere coloniam fundarunt, ſed parum firmam, quod penitus ſubjecti ſint arbitrio Chinenſium, qui ipſos ob ingenia, & ſtrenuitatem ſuſpectos habent. Eos quoque non fugit amicitia, colluſio & conſenſus, qui ipſos cum Caſtellanis intercedit, ideoq; reſtringunt quotidie libertatem commerciorum, conanturque ita ſe gerere, ut Luſitani ſua ſponte Macao relinquant repetantq;

Indiam.

CA-

CAPVT XVIII.

DE

REGNO SIAM.

AD limites Chinæ, relinquentes regnum Caucinchinæ (de quo quod huic operi inseratur, dignum nihil habemus) sequitur regnum Siam, quod inter magna Asiæ regna habetur. Nomen à Siam civitate, ad ostia fluvij Menam traxit, dicitur quoque regnum Gornao. Extenditur ab Ortu Occasum versus à civitate Campaa, ad civitatem Tauai usque, quo spacio quingentæ leucæ secus oram maritimam comprehenduntur. Interim verum est, Arabes ejus regionis ultra ducentas leucas usurpasse, cum oppidis Patane, Paam, Ior, Malacca (quam postea Lusitani his eripuerunt) Parca. A Meridie Septentriones versus, extendit se à Sincapura, quæ in medio gradu est, ad populos, qui vernacule Gueoni dicuntur, qui ad 29. gradus sunt. Lacus Chiamai qui sexcentis milliaribus à mari distat Regis Siam est: in locis mediterraneis dilatatur à finibus Caucinchinæ ultra Avam fluvium, ubi regnum Cencran possidet. Sunt itaque ipsius simul cum lacu Chiamai, Menon (quod Capitaneum aquarum sonat) Menam, Caipumo, Ava flumina, quæ omnes illas regiones plus quã credi queat, omni annonæ genere fertiles reddunt. Potissima regionis pars undique montibus Avæ, Bremæ, Iangomæ cincta, situ plana est satisque Ægypto similis. Abundat elephantis, equis, pipere, stanno, auro. In regni parte occidentali habet silvas immensas tigridibus, leonibus, lyncibus & hyenis plenas. Continet regna Camboiæ, Siami, Muantai, Bremæ, Caipumo & Chencran. Regi Siami obediunt populi Lai, qui ad Septentrionem regnorum Muantai & Caumua sunt, in tria regna (ut alibi diximus) divisi. Primum est Iangomæ, secundum Cucrai, tertium Lancaan, Caucinchinæ vicinũ. Inhabitant regionem planam & opulentam, in quam ex montibus descendentes Gueoni (Marcus Paulus Venetus appellat eorum regionem Gangigu) appetitu carnis humanæ, faciunt eorum horribilem lanienam. Ab his sibi timentes Lai, agnoscunt Regem Siami in superiorem dominum, sed ei parum obediunt, sæpeq; ei rebelles fiunt. Hujus regni opes ex ejus fertilitate percipi possunt; cum enim in planicie sit, quæ à nobilissimis maximisq; fluminibus, opportuna inundatione Nili instar irrigatur, dici nõ potest quantum rerum o-

mnium copia affluat. Producit oryzam, frugesq; innumeras, equos elephantes, pecoraq; infinita: aurum quoq;, ſtañum, metalla. Argentum à populis Lai eo defertur. Hæc terræ fertilitas in cauſa eſt, ut populus ſe valde deliciis & voluptatibus obruat. Agriculturam exercent, ſed artibus non admodum delectantur, eamq; ob rem regnũ exigui commercii eſt. Inter alias civitates tres admodum celebres ſunt, nimirum Cambaia, ad flumen Meicon aut Menon ſita, quod in China oritur & in decurſu adeo fluminibus & aquis augetur, ut ei ſuus alveus non ſufficiat: & propter aquarum vim ſe mutuo protrudentium rumpit diſcinditq; terram, plus quam in mille partes, efformatq; lacum quaſi alterum Meotidem, plus quam ſexaginta milliaria longum: Meicon Capitaneũ: Menon matrem aquarum ſignificat. Altera civitas eſt Siam, cujꝰ amplitudo toti regno nomen dat: maxima civitas eſt, commercioq; admirabilis, id inde colligi poteſt, quod quidam Pater Ieſuita ſcribit, uſtra indigenas incolas, plus quam tringinta millia Arabicarum familiarum in ea eſſe. Tertia civitas Vdia nomine, Siana adhuc major eſt, dicituꝛq; in ea eſſe quadraginta incolarum millia, & quod in flumine Caipumo (ad quod ſita eſt) diſcurrant ducenta cymbarum millia. Rex Siami magnifice vivit, ſex excubitorum millia habet, & ducentos elephantos, oſtentandæ ſuæ amplitudini. Elephantorum 30 millia habet, quorum tria millia bello idonei ſunt. Ea res pro maxima habenda, ſi eorum precium, & impenſæ in ea animalia faciendæ, conſiderentur. Regis Siami adminiſtratio plus deſpotas refert, quam Regiam gubernationem; omnium enim ſui regni terrarum dominus eſt, easque locat colonis, aut dat eas ſuis Baronibus, ad ipſorũ ſuſtentaculum, ad certum tempus, aut quamdiu vivunt, ſed nunquam jure hæreditario: dat quoq; iisdem Baronibus civitates oppidaque, cum jurisdictione ad tempus præfinitum, vel etiam ad vitam, ſed ea conditione, ut ei in bellis, certo cum peditum numero, equis & elephantis inſerviant. Hoc modo 20 equitum & 250 peditum millia (quibus nulla ſtipendia largitur) habet, nec regno hoc oneri eſt. Si majores vires coadunare vellet, multo majorem numerum conficeret; regnum enim amplum eſt, civitates oppidaq; populo frequentia ſunt, ſola civitas Vdia (quæ regni Siami caput ſedesq; regia eſt) emiſit 50 hominum millia. Quamvis Rex Siami novem regnorum dominus ſit, non aliis tamen, quam Siamitis, in bellis utitur, qui duo regna, Siami nempe

(quod

(quod ipsi Chaumua vocant) & Muantai, (in quo civitas Vdia est) inhabitant. Sequuntur tria Laiorũ regna, duoq; alia ad mare sita nempe Como & Camboia. Ad Occasum est Caidoco regnum, & Septentriones versus Brema, quod alii Barma, alii Brama dicunt, sicut in barbaris nominibus evenire solet. Cum spes parandi opes, & acquirendæ amplitudinis, in hoc regno ab armis dependeat, vigente etiam pace, fiunt exercitia bellica; & in aliquibus ludis, quos Rex quotannis Vdiæ exhibet, referuntur omnia ad exercitia militaria. Vni fiunt in flumine Menam, ubi plus quam tria Paraorum (genus navigii est) millia, in duas classes divisa, confligunt: congrediuntur quoq; equis & elephantis: pedites quoq;, ense parmaq; instructi: exercentur quoq; in venationibus ferarum. Vitæ quod super est impenditur deliciis & vitiis. Siamensium fines ad Ortum Caucinchinam attingunt, inter quam & ipsos sunt sylvæ immensæ, leonibus, tigridibus, lyncibus, hyenis, elephantis plenæ, impediuntque, ne se invicem bello infestent. Cum autem ambo hæc regna Regi Chinæ subdita sint, (cui quotannis Legatos mittunt) pacem inter se colunt. Chiamailacum versus contermini sunt Siamenses Chinensibus. Ad mare junguntur Arabibus, & locis quæ Lusitani occuparunt: illi Patane, Paam, Ior, Peram: hi Malaccam totumque ejus regnum rapuerunt, ita ut regi Siam ad ducenta terræ milliaria ademerint; sed cum ora maritima contenti, latius in interiorem regionem jurisdictionẽ non exerant, recipiantq; ex invectis & evectis mercibus magnos reditus, nec viribus, ad mediterranea invadendum satis firmis instructi sint, pacem cum Rege Siam colunt. Regnum Pegu ad occasum est regno Siam, mediæ Lunæ instar: jacet inter montes, quos Brami & Iangomei incolunt, extendit se secundum mare, à civitate Rei (quæ ad mare in 14 gradu, & ejus parte tertia est) ad Sedochusque, quæ in decimo octavo gradu ad oram maris est, per spatium 90 leucarum, paulo minus in mediterraneis latum est. Fluvius Pegu regionem mediam intersecat, & certis temporibus intumescens, diffundit dilatatque se per illos amœnos campos, idque tam egregie, ut magnum Sinum tibi ob oculos ponat. Is triginta leucas latus est: ubi autem fluvius decrevit & in suum alveum reflexit, crescunt ibi omnia, quæ illud clima fert, tam abunde, ut Pegu Ægypto non invideat. Regni Pegu Portus præcipui sunt Pegu ad ejusdem nominis fluvium: Tavari, Matabane, Colmin. Siamensibus ad Septentriones vicini sunt Gueoni, asperri-

morum montium incolæ, inter quos & Siam sunt Lai, qui eam à Septentrionali & Orientali & latere prorsus circumcingunt secundum flumen Mecon: fines denique jungunt China, Campa & Camboia. Lai parent Regi Siam, quod metuant Gueoni à quibus illos Rex Siam tuetur, nisi id faceret, jam dudum ab illis exciſi essent. Ante 40 annos, eos aggressus est Rex Siam, cum 20 equorum millibus (qui quamvis parvi sint, ferunt tamen egregie labores) habebat præter eos 250 peditum & decem elephantorum millia: pars prælio bona erat, pars gestabat impedimenta. Non aliud regnum est quod majorem elephantorum copiam habeat, iisq; plus utatur. Trahebat quoque post se boum bubalorumque clitellariorum ingentem numerum, quos deficiente commeatu mactabant. Hucusq; diximus de Regnis Siam & Pegu, sicut erant, quando Lusitani Indiam sunt ingressi, sed ab eo tempore, res valde mutatæ fuere, modo qui sequitur. Regi Pegu obediebant quondam aliqua Bramorum regna, secundum flumen, Chiamai lacum versus, ubi suos Legatos habebat. Sexaginta ab hinc annis quidam Legatus, quem regno Tangu præfecerat, confisus asseçlis, quorum multos habebat, & authoritate, quam sibi virtute paraverat, rebellis Regi factus est, rapuitq; sibi regnum, occisis viris primariis: quod plus est, cepit civitates, & regna Prom, Melinta, Calam, Mirandu & Ana, quæ omnia Bramis inhabitata erant. Ea Septriones versus, plus quam ad 150 leucas extenduntur; tentavit quoque occupare Siam, venitque in conspectum Vdiæ Metropolis civitatis regni Muantai usque, sed nihil efficere potuit. Susceperat illam expeditionem, cum trecentis peditum millibus, consumsitq; plus quam tres menses in aperiendis viis, per montes asperrimos, sylvas vastas, & loca inaccessibilia, in quibus amisit 120 hominum millia, cepitq; Siamensium ducenta millia. Domum reversus, aggressus est ipsum regnum Pegu, quod & expugnavit: postea, anno nimirum 1507 reversus est ad expeditionem Siam vicitq; Regem, qui sibi veneno mortem conscivit, ejus filios autem cepit occupavitque ejus regni magnam partem. Hic & ejus successores, quod eorum potentia incœperit, occupatione regnorum Bramorum, vocantur à neotericis Historicis Reges Bramæ, aut ut alii dicunt, Reges Barmæ: Lusitani autem à nobiliori, & magis cognita occupatorum parte vocant eos Reges Pegu. Tentavit postea aliquoties cum uno virorum millione & amplius civitatem

Vdiam

Vdiam. Sed ut quod de magno numero diximus fabulosum non videatur (quod res alibi dicendæ similes sunt) non erit ab instituto nostro alienum, si hic demonstremus, unde accidit; ut hic, aliisq; in regionibus, tam numerosi exercitus colligi educique possint. Primo itaque dicimus, quod cum bella, tuis in finibus, aut procul ab iis geruntur, magnos exercitus, longo tempore alere non potest is, cui maximi reditus, copiaque paratæ pecuniæ non suppetit. Sicut enim nostri corporis membra sine nervis moveri, & absque iis motus continuari non potest: ita nec exercitus colligi, nec quo opus est duci, nec uniti in expeditione retineri possunt, nisi prompta pecunia, quæ ipsos oportuno tempore reficiat, trahatq; post ipsos, arma, commeatum annonam aliasque res vitæ necessarias, usuique armorum commodas. Cum autem Principum reditus, sicut privatorum hominum facultates, (unde Principes suos thesauros instruunt) certis finibus constent, efferendoque uno aut duobus annis, ex tuis provinciis pecunias, iis eas denudabis, omneque aurum & argentum ita exhauries, ut iis postea inanes remaneant, consequitur quod bella longinqua, nec suscipi, multo minus continuari possint, nisi à Principibus, qui à longo tempore thesauros accumularint, aut habeant fodinas inexhaustas, & nunquam deficientes. Thesauri autem, quantumvis maximi, consumentur parvo temporis spacio; id enim quod in pace, parce colligitur, in bello, prodige expedendum est. Vnus siquidem annus quo bellum geritur, fructus multorum annorum pace conquisitos absumit. Quare quidam Capitaneus Lusitanus, magna cum causa dixit Lusitaniæ Regi Sebastiano, cum de expeditione in Barbariam suscipienda ageretur, ad id bellum tres torrentes requiri: unum virorum, alterum commeatuum, tertium pecuniarum. Ille quoque egregie dixit, qui ad belligerandum pecunia infinita opus esse dixit. Cum autem in omni bello multum expendendum sit, id tamen quod procul à domo geritur, infinitas, & quæ omnium opiniones superent, pecunias requirit. Magnus Turca id expertus in bello Persico, quo adeo potens Princeps suas facultates & thesauros tali modo consumpsit, ut ei valorem auri argentique diminuere, illorum precium ad duplum augere, patique monetarum falsificationem milleque tales res, necesse fuerit. Qua de causa Ianizari plus quam semel seditionem & turbas concitarunt; civitatem Constantinopolim furiosè

perva-

pervagati flammas injecerunt, ſuntq; ejus magnam partem depraedati, Rex Catholicus tot bellorum onera in tam longinquis Provinciis, tantoq; tempore ferendo, facultatibus tantum Hiſpaniæ ſuffultus non ſufficeret, niſi Dominus Deus ei dediſſet alium Orbem minæris inexhauſtis argenti plenum, venisque & fluminibus auriferis ſcatentem, qui ipſum quotannis novis theſauris (qui adipſum claſſibus deferuntur) reficit. Pecunia ea eſt, quæ militibus commeatum & apparatum dat, illos in unum locum coire facit, & eos modo huc, modo illuc ducit, ſicut occaſiones neceſſitatesq; expeditionum exigunt. Tanti momenti eſt pecunia, ut Ioannes Iacobus Trivultius, magni nominis Capitaneus, rogatus, quæ res in bello neceſſariæ eſſent, tres requiri reſponderit: Pecunias, Pecunias, Pecunias. Hæc intelligenda ſunt, cum impenſæ ex tua ditione capiendæ ſunt; accidit enim aliquando ut expeditio bellica ſe ipſam alat, ſubminiſtretque ipſa vires: Hunni, Vandali, Gothi, Arabes, & noſtrorum avorum tempore, Magnus Tamelranes, maximos exercitus foris eduxerunt, Provinciaſque nullis viribus inſtructas, ſine magna reſiſtentia & obſtaculo intrantes, dabant in prædam & direptionem civitates, ruraq; alebant conſervabantque ſe ſpoliis & ruina regionum Idem noſtris temporibus Luſitanis in India Orientali, & Caſtellanis in India Occidentali, ſed plus his quam illis accidit. Nulla enim unquam natio in Orbe fuit, quæ nullo fere proprio ſumptu tantum acquiſiverit, quantum Hiſpani in Nova Peruvia. Sed id hoc tempore factu adeo facile non eſt, ſicut olim fuit, minusq; in Europa, quam in Aſia, aut Africa, propter tormentorum bellicorū uſum & arces, quæ pluribus menſibus, immo annis, ſuſtinere, imo defatigare hoſtem præpotentem poſſunt. Turcæ hoc ad Zigethum experti ſunt, parvum id in Hungaria caſtrum eſt, quod anno 1566 Solimannus Turcarum Rex, cum ter centum bellatorum millibus aggreſſus tandem expugnavit, ſed cum tanta ſuorum ſtrage, ut tanti exercitus pars tertia domos non reviſerit. Fuit itaque acquiſitio, tanto conatui longe inferior. Luſitani initio ſuæ expeditionis Indicæ cum paucis militibus modicoque tempore magni momenti acquiſitiones fecere: ſed cum illi populi tormenta bellica ſibi paraſſent, architectos nacti arces extruxiſſent, claſſeſque inſtruxiſſent, non ultra progreſſi ſunt Luſitani. Hiſpanis idem in novo Orbe accidit; repererunt. n. poſt primas illas victorias, in nova Hiſpania Chichimechios

mechios, & in Peruvia Pilcoſſonios, Ciriguanios, & Cuchios: ut 27 annorum ſpacio non latum pedem terræ potuerint ſuo imperio addere, ſicut nec in valle Arauco, Tecapel, in regno Chile, ubi cum illæ gentes vidiſſent Hiſpanos ictibus ſagittarum armisque interfici, non habuerunt eos amplius in ea exiſtimatione, qua ipſos habuerant, cum pro cæli filiis & gente immortali ipſos æſtimabant; experientia autem praxique edocti, non amplius timent equos nec ſclopetos. Sed ſi Bellum non procul domo geritur, non eſt difficile pauco tempore magnos exercitus colligere: ſicut legimus de Crotoniatis & Sibaritis. Et ne exempla adeo antiqua adducamus, legitur Gandavenſes Flandriæ populum, ſe aliquando potentiæ Regum Franciæ cum 80 bellatorum millibus oppoſuiſſe. Cum n. eorum regio abundans populo eſſet, bellumque in finibus gereretur, currebat in id unuſquisque commeatu (qui in aliquot dies ſibi ſufficeret) inſtructus; ſed diu in expeditione ſubſiſtere non poterant, quod pecunia & annona deficerent, conſtringebanturque omnes hic ad aratrum, ille ad officinam, tertius ad tabernam, unde ſe ſuſtinebant, reverti. Scoti, qui præ defectu pecuniæ nunquam præclaram expeditionem extra Inſulam ſuſceperunt, neceſſitate patriæ id exigente, aliquando modico temporis ſpacio, magnum hominum numerum collegerunt, eoque aut hoſtes aggreſſi ſunt, aut defenderunt fines, ſicut & faciebant Romani, qui per aliquot ſæcula, dum cum vicinis Romæ populis belligerarent, privatis ſtipendiis arma tulerunt. Egrediebantur enim domo cibis in unum aut duos dies, aliisque rebus neceſſariis inſtructi, unoque prælio paucis horis bellum finiebant. Sed cum expeditio in Vejos ſuſcepta diutius protraheretur, coactus fuit Senatus populo ſtipendia parare. Exercitus ad expeditiones vicinas colligere in regionibus Orientalibus, & in Africa, longe facilius eſt, quam in Europa: ejus rei multæ ſunt cauſæ. Prima eſt, quod regiones ut plurimum abundantiores copioſioresque rebus vitæ humanæ neceſſariis ibi ſunt: deinde quod populi Meridionales & Orientales, ut plurimum minori quam nos contenti vivant, ſunt ciborum parci ſimplicesque: Europæ autem populi non ſolum ut ſe nutriant, edunt bibuntque, ſed ut frigus à ſe arceant: illi autem à cibo nihil præter nutrimentum recipiunt. Vinum, quod apud nos pane carius eſt, apud ipſos non reperitur; ipſorum aquæ ſunt noſtris meliores. Ats culinaria

non apud ipsos tam exquisita est, quam apud nos, nec eorum stomachus assuevit adeo opiparis deliciis. Turcæ finiunt convivia oryza & carne verve cina. nec Orientales insumunt tantum in vestes quantum nos. Eunt seminudi bella, nec præter pudenda aliquid cooperiunt, inde accidit, quod apud ipsos, non tanta artium artificumque frequentia sit, quanta apud nos est, ubi major elaboratarum rerum pars ad vestes, & ad personarum ornatum pertinet, nempe tot generis panni, lanei, serycei, varietas vestium, colorum venustas, pompa vestimentorum, aliæque tales. Apud illos populos fiunt fere omnes expensæ in paniculo ex gossypio, qui eos ab umbilico ad genua usque tegit. Has ob causas facilius illic quadraginta quam apud nos decem militum millia sustentari possent. His adjunge expensas, quæ in tormenta bellica & in eorum apparatum, in commeatum, equos, homines, aliasque res, quæ ad gerenda bella requiruntur, faciendæ sunt: hæc ignorat maxima populorum Orientalium pars, ii maxime, quibus cum Arabibus & Lusitanis nihil negocii est, & qui provincias mediterraneas inhabitant. Sed parvi momenti non est, quod supra dicti populi in bella eant, nullis armis, defensioni aptis instructi, absque thoracibus, galeis, squamis æreis & laminis, quibus multum impenditur, nec ea, ex uno loco in alium absque impensis vehi possunt. Multum hac in re differimus à Romanis, qui in bella euntes tam defensioni quam offensioni apta arma & sæpe commeatum in decem & plures dies ferebant: quare Virgilius hoc onus, injustum fascem canit, quod præter modum esse videretur. Cum itaque illi populi commoditatibus fruantur nempe fœcunditate regionum, facilitate parandi victus, amictus, armorum, facile est, ut urgente necessitate axercitum multo majorem, quam nos colligant, qui rebus infinitis indigemus, quas ipsi ne quidem norunt. Legimus res maximas de exercitibus Assyriorum, Æthiopum, Beli, Nini, Semjramidis, Cambisis, Cyri, Darii, Sesostris, Sesaci, & temporibus minus antiquis Arabum, Tartarorum, Mogororum aliorumque. Et ne exempla tantum longinqua adducamus, & ut ex iis, quæ recens acciderunt, rebus antiquis fides concilietur, eaque fiant credibilia, literis patrum Iesuitarum & Capitaneorum Lusitanorum celebratur res illa, quæ accidit anno 1584 in Angolo (ea nobilis divesque Provincia est Æthiopiæ Occidentalis, regno Congo vicina.) In ea Paulus Diazius Capitaneus Lusitanus, secunda Februarii die obviam habuit

habuit exercitum unius millionis, & ducentorum Æthiopum millium, quem adversus ipsum eduxerat Angolæ Rex, qui ab illo, incredibili fœlicitate, non armorum vi, sed Dei benignitate dissipatus & in fugam actus fuit. Hujus rei certiorem me fecit literis Eduardus Lopezius Lusitanus, qui eo tempore erat cum Rege Congo. Certum itaque est, quod adeo numerosi exercitus parum durent, & torrentibus quam fluminibus, nimbis quam pluviis similiores sint; quamvis enim colligi possint, non tamen diutius conservantur, quam commeatus, quos secum domo attulerunt, durant. Accidit inde ut intra paucos dies dissolvantur valedicantque expeditioni, non cum ea in medio cursu est, sed cum incipit moveri; non habent enim secum rem quæ mercatores, & epulatores cum rebus conservationi vitæ humanæ utilibus, & ad bellum necessariis, post eos trahit. Quod plus est, ut millioni militum, de rebus necessariis prospiciatur, opus esset alio hominum millione, curribus, jumentis clitellariis, famulis, mercatoribus & epulatoribus, qui illos sequantur; tantæ multitudini autem, nec flumina aquam, nec campi fruges, nec terra hospitia suppeditare posset: necesse itaque esse ut sua mole rueret & in nihilum redigeretur. Reges illi Orientales, qui exercitus solito majores collegerunt, eosque in bella, & longinquas regiones duxerunt, ea quæ diximus bene perpendentes, primum maximam pecuniarum, commeatuum, aliorumque necessariorum adparatuum copiam compararunt. Inter alios, Xerxes, qui majorem exercitum, tam mari quam terra de quo memoria sit, collegit, consumpsit septem annos, in apparandis iis, quæ ad expeditionem necessaria erant. Sed revertendo ad Regem Barmæ, cepit is paucis elapsis annis portus Mattabane & Ternasseri, armaque deinde, nunc ad Septentriones, nunc ad Occasum versus circumagendo, divexavit Principes Caor & Hipuræ, cepit regnum Aracan, Macim, duxitque in eam expeditionem ter centum millia, & quadragesies mille elephantos. Aracan, regnum, montibus obsitum & undiquaque fere sylvis spaciosis cinctum est, suntque ea regno pro muro valloque. Civitas magistra, quæ regno dat nomen, sita est ad fluvium, distatque quindecim leucis à mari, 35 à Catigan: Macin regnum est dives aloe: id lignum (quod Arabes dicunt Calambuco, alii lignum aquilæ) propter odorem suavissimum, æstimatur ab omnibus illis populis Orientalibus argenti pondere.

Vruntur eo in India & Cambaja, in exequiis magnorum Principum, in balneis, & in similibus delitiis : nascitur ut plurimum, in asperioribus montibus Campæ, Cambojæ, Macin : quod in nostras regiones defertur, nullo in precio apud illos est. Intelligo in regnis Congo, Angolæ, regionibusque vicinis laudatum probumque reperiri, & quod indigenæ eo utuntur pro remedio & medicina variorum morborum, quibus laborant. Sed si id verum est, miror, quod Lusitani ex eo lucrum non captent.

CAPVT XIX.

De REGNO NARSINGÆ.

POtentiorum Principium qui inter Indum Gangemque sunt, unus est Rex Narsingæ; ejus enim dominio quicquid est inter montem Gate & Sinum Bengalicum, inter Promontoria Guadavernum & Comorinũ, quod spacium 200 leucas continet, abundantia & copia rerum cum aliis Indiæ regionibus certare potest. Aquæ à montibus cadentes nunc à fluminibus, alibi rivulis, alibi lacubus stagnisque receptæ, mirifice terram refrigerant, adaquant humectantq;: Ea aquarum copia, solis calore adjuta, miras res propagandis frugibus pecudibusq; facit. Oryza varii generis, avibus, feris, domesticis animalibus præcipuè bubalis, elephantis, minæris gemmarum & metallorum, mirificc luxuriat rtgio. Equos bello aptos non producit, sed à mercatoribus ex Arabia & Persia, magno numero adducuntur, id quoq; quadam æmulatione Principes Decan faciunt. Inter supradictos regni Narsingæ fines, habitant quinq; nationes, lingua inter se differentes; plura quoq; loca ad Oceanum Indicum habet munita Narsingæ Rex ; ejus enim dicto audiens est provincia Canara aut Cocam, ubi sunt oppida & portus Mangalor Mayandel, Batticala, Onor, sed Lusitani vectigal Batticalæ recipiunt, & ante aliquot annos occuparunt Onor. In Narsingæ regno sunt duæ civitates regiæ, una earum Narsinga, altera Bisnagar nuncupatur, unde hic Princeps aliquando Rex Bisnagaris, aliquando Rex Narsingæ vocatur. Pro re certa habetur, Regem Narsingæ 12 Ducatorum Milliones quotannis recipere, quodq; eorum tres, aut duo & semis ipsi manent, omne residuum impendere in magnum corpus militiæ, nempe

nempe 40. Nairorum & 20 equitum millia: quibus pacis bellique tempore ſtipendia largitur. Neceſſitate urgente, multo majorem exercitum educere poteſt; ejus enim ſtipendia merentur 200. Capitanei, quibus territoria ſuæ ditionis confert, ſub obligatione, ut certum equitum, peditum, elephantorumque numerum ſemper ad manum paratumque habeant. Amplitudinis redituum regni, argumento eſſe poteſt, quod Capitaneorum aliqui à Rege millionem Ducatorum conſequuntur. Sed pro re incredibili habendum minime eſt, quod hic, ſicut in majori Orientis parte, omnes terræ, ſyluæ, minæræ etiam aqua ipſa aliquorum fluminum, ad Principes ſpectant. Nemo enim aqua fluminis Gangis, quod regnum Bengalæ perlabitur nec Gangæ, quod per Oriſſæ regnum fluit, ſe lavare poteſt, niſi Regibus vectigal teloniumque perſolvat. Ipſe quoque Narſingæ Rex aquam jam dictorum fluviorum emere cogitur; eam enim è longinquo ad ſe deferri jubet, ut in ea balneetur, aut quadam ſuperſtitione ſe ea purget luſtretque. Rex omnium fundorum ſuæ ditionis dominus eſt, populo autem præter brachia & laborem nihil relinquitur, quidquid è reditibus regni percipitur, id inter ipſum & Capitaneos dividitur; ipſi enim Regi pars tertia redituum, Capitaneis duæ reſiduæ partes cedunt. Cum itaque maxima Principum Orientalium pars ſibi non pacem aut juſtitiam pro ſcopo, in quem colliment, proponant; ſed victoriam, amplitudinemque, collocant omnes facultates in militiam, nec aliud eis curæ eſt: indeque conſequitur, ut equitum peditumque numerum, nobis vix credibilem tenere alereque poſſint. Sed ut ipſorum potentia credibilis fiat, operæ precium feciſſe videbimur, ſi ob oculos ponamus, quid Princeps Chriſtianæ profeſſionis (qui Dominus eſſet omnium fundorum territoriumque ſuæ ditionis) efficere poſſet. Æſtimatur id omne, quod è territoriis Franciæ percipitur, ad 15 milliones aſcendere; in Francia autem nec auri minæræ nec argenti ſunt. Sex milliones percipit Clerus Regni; una Myrias & ſemis Regis Domainium ut vocant, reliquum aliorum eſt, qui reditus habent: nihilo tamen minus ruſtici eo in regno laute vivunt, (ii in Oriente, in India præcipue, in Polonia & Lithuania pro mancipiis habentur) Principes itaque Orientales, multo majores reditus è Francia perciperent. Vltra ea, quæ dicta ſunt, habet Rex Chriſtianiſſimus, plus minus octo milliones ordinarii reditus, ex vectigalibus

datiisque, quanto autem esset potentior, si ultra hæc (in quibus sua potentia consistit) Dominus fundorum territoriorumque totius regni esset, illaque (sicut Rex Narsingæ facit) in milites impenderet? certe sicut quando Francia in flore erat, vix expensis in 4 cataphractorum & 6 sagittariorum millia, faciendis, sufficiebat, si quæ jam dicta sunt, aliis ejus reditibus accederent, 150 equitum millia posset tenere. Sed ut ad Narsingam redeamus, hic Rex ut suos Capitaneos sedulos diligentesque reddat, instituit quotannis lustrationem, in qua omnes se sistere tenentur: ea lustratione peracta, gradu movet eos, qui minus militum quam debebant, aut armis non probe instructos adduxerunt: eos autem qui plenum numerum riteque instructum secum traxerunt, complectitur benigne, melioremque reddit eorum conditionem. Sed quæ vires ex tantæ amplitudinis regno, modoque quo dictum est instructo, educi possint, inde colligi potest, quod Ioannes Barros scribit, de exercitu quem Rex Chrismarao, adversus Idalcanem, in expeditionem Raciolensem eduxit: quod ut melius intelligatur, præter meum institutum recitabo punctuatim quidquid is dicit. In plura membra sub suis Capitaneis divisus erat exercitus, in prima acie erat Camaraique cum mille equis, 17 elephantis, & 30. peditum millibus; Tiarabicare cum duobus equorum millibus, 20 elephantis & 50. peditum millibus, post eum erat Timapanaique, cum ttibus equorum millibus & quingentis & 60. peditum millibus: Hadapanaique, qui eum sequebatur, ducebat 5. equorum millia, 50 elephantes, & centum peditum millia. Condomara 6. millia equorum, 60. elephantes, 120. peditum millia; Comara 250. equos, 40 elephantes, & 80. peditum millia. Gendrajo mille equos, decem elephantes, & 30. peditum millia. Post hunc ibant duo Eunuchi Regi familiares, cum mille equis, 15 eleplantis, & 40. peditum millibus. Pedisequus Betel ducebat, 200. equos, 20 elephantes, & 15. peditum millia. Comaberra 400 equos, 20 elephantes, 8. militum millia, sequebatur Rex, cum iis, quibus sui corporis custodiam credebat, nempe 6. equitum millibus, 300 elephantis, & 40. peditum millibus. Ad eorum latus ibat Gubernator civitatis Bengapor, cum diversis Capitaneis sub quorum signis erant 4200. equi 25 elephantes, & 60 hominum millia, pedibus merentium. Vltra hanc gentem adhuc erant duo equorum, & centum hominum millia,

millia, in exiguas turmas divisa, qui cursorum instar, undiquaque, ante, retro, & alateribus regionem, tali cum ordine perscrutabantur, ut uno tractu, quidquid accidisset, cognosci posset: hos comitabantur 12. aquatorum, & 20. meretricum millia, famuli, mercatores, artifices, lixæ (quos ipsi Maniati dicunt) bonum bubalorumque clitellariorum numerus iniri non poterat. Dum flumen transmitteret exercitus, ejus frequentia, ex eo cognosci potuit, quod aqua quæ ad dimidium cruris eorum, qui primi transierant pervenisset, vix ultimis ad bibendum sufficeret. Antequam Rex ad hanc expeditionem egrederetur, novem dierem spacio 20736. capita animalium, tum aëreorum, tum terrestrium sacrificavit, eorum carnes in honorem idoli, cui sacrificabantur, in egenos distributæ sunt. Milites vestibus ex gossypio, tam firmis solidisque induti erant, ut lanceis non minus quam laminæ ferreæ resisterent. Gossypio quoque cooperti erant elephantes, quorum quilibet gestabat castellum, in quo quatuor armis instructi viri erant, elephantorum dentibus, prælongi latique enses alligati erant, quibus omnia dissecabant. Peditatus in arcus, frameas, enses scutaque gerentes, divisus erat: quod autem horum ultimi scutis pergrandibus uterentur, ut iis cammode corpus tegere possent, arma offensiva nulla gestabant. Silentio prætereundum non est, quod cum Idalcane, tormentis bellicis, Regis Narsinge exercitum valde afflixisset, hic suum suorumque animos excitans in hæc verba Principe digna prorupisse fertur; malle se ut Idalcane de se occiso, quam devicto gloriaretur, sequi iurer primos ostendens, addidit suis animos, fecitque ex agnis leones, dissipavit hostem, egitque eum in fugam. Inter alia spolia, quatuor equorum Arabicorum millia, centum elephantes, 400 tormenta bellica majora, præter alia minora, inventa fuere; boum, bubalorum, tentoriorum captivorumque numerus iniri non poterat. Cum Idalcane his in bellis fuere 40 Lusitani, cum Rege Narsingæ 20 & ab iis quæ supra dicta sunt, habemus. Huic Regi, nostro ævo rebelles facti sunt duo Capitanei, quorum unus Virapaneique nomine, residet in Negapatam; alter cui Venecapatir nomen est, dominium locorum vicinorum Malipuro sibi rapuit.

CAPVT

CAPVT XX.
DE

REGNO CALICUTIO.

IN Indiæ parte nobiliſſima, quæ inter Gate montem, Oceanumque Indicum ſita eſt, extenditurque à promontorio Comorino, ad fluvium Cangierecorusque, ſpacio 300 milliarioruin, nullus Rex eſt, qui viribus potentiaque, cum iis, quos hucusque nominavimus conferri poſſit; regio enim tot in partibus, nunc Sinubus maris, nunc fluminibus, aliquando lacubus ſtagnisque ita diſcinditur, ut eam natura in plures diviſiſſe videatur, nempe Travancor, Colam, Cochin, Cranganor, Calicut, Tavo, Cananor. Ante ſeptingentos annos, præfuit his regionibus Pereimal, Rex totius Malabaris, qui cum factus eſſet Mahumetanus, Mecan profecturus, ut dum viveret ibi moram traheret, ſuum Regnum (ut alias diximus) in plures partes diviſit, voluit tamen, ut majeſtas ſuperioritasque eſſet apud Regem Calicutii cum titulo Samorini, quod Imperatorem ſignificat. Quamvis potentiæ hujus Regis multum deceſſerit, tum quod Luſitani commercia à ſuis portubus averterint, tum quod autoritatem Samorini diminuerint, ejus æmulos ſubditosque (quales erant Reges Tauor & Cochin) ſuſtinendo: nihilominus ſuam majeſtatem tam egregie adhuc tuetur, uti inter alios, à nobis celebrari mereatur, vel propter id ſolum, ne nobilis illa Indiæ pars à nobis tranſeatur, nulla facta mentione ejus Principum. Calicutii regnum ad 25 leucas in longitudinem protenditur. Malabar ubi latiſſima eſt, decem leucas non excedit. Civitas Calicut (quæ regno nomen dedit) ad maris oram ſita eſt, ſecundum quam ſe fere ad tria milliaria extendit, ſed paucæ in ea domus, nec eæ magni precii ſunt, nempe 10. 15 20. aureorum ordinarii reditus, quod & comune precium eſt, maximæ partis ædificiorum novorum Orientis, quibus Arabes aut Luſitani manus non admoverunt. Suſtentant ſe incolæ oryza, palmetis, pecore, piſcibus. Divitiæ conſiſtunt in zinzibere & pipere, quorum mercatura magnos theſauros in illius regni portus trahit. Primo enim Arabes (qui multis ſeculis hujus commercii domini fuere) deinde Luſitani, indicibilia pericula tam immenſæ navigationis ſpernentes, ab hinc 90.

annis

annis venerunt illuc, invehuntq; adhuc suas opes, quas commutant pipere aliisque, rebus. Sicut autem Lusitani Cochin oppidum dives & opulentum reddiderunt, ita etiam Arabes Calicutium. & ejus Regem locupletarunt: commercium enim illud tanti est momenti, ut non solum Principes ve&tigalibus datiisq; ditet; sed & mercatoribus tantæ inde opes accrescant, ut eorum aliqui cum aliquibus Europæ ducib9 & Africæ Regibus conferri possint. In Malabar communiter in præliis equis non utuntur, non ob id solum quod equos regio non generet (magno enim numero ex Persia & Arabia eo ducuntur) sed quod regio id non ferat: sicut enim in Suecia pedites hastis, equites lanceis non utuntur ob sylvarum frequentiam, quæ earum usum impediunt, easque inutiles reddunt: ita & in Malabar raro equis utuntur, propter regionis angustiam, & quod mille in locis hic fluminibus, illic maris sinibus, aliquando lacubus rumpatur: vires itaq; in peditatu &armis navalibus consistunt. Peditatus his in regionibus ad militiam adeo probe instructus est, ut id creditu difficile sit. Milites nobiles omnes sunt, dicunturque Nairi: cum hi septimum ætatis annum attigerunt, ducuntur in scholas militiæ, ubi eorum nervi juncturæq;, per homines excellentes distenduntur, frequenti unctione olei Sesami, consequunturq; ea inunctione agilitatem fere incredibilem, vertunt, inclinantq; membra facillime in omnem partem, quasi in iis nulla essent ossa, saltantque antrorsum retrorsumq; ad miraculum usque. Semper exercent se armis, existimantesq; neminem pluribus in rebus excellere posse: assuescunt unitantum armorum generi, cui se maxime aptos norunt. Arma eorum quondam fuere hastæ, arcus, enses, sed postquam Lusitani in eas regiones penetrarunt, adeo exacte ipsi artem metalla temperandi, & fundendi tormenta bellica, iisque uti didicerunt, ut ipsorum sclopeti pulvisque pyrius, nostra longe superent. In bella (præter, quam infra umbilicum) nudi eunt, nec thoracibus ferreis utuntur. unde accidit ut in præliis, omnique alia militari actione, mira agilitate levitateq; polleant, & falconum instar, adversarium aggrediantur & effugiant: quando eos longe abesse putas, uno momento eos tibi imminere vides, ita ut difficillimum sit eos effugere, & persequi; pedibus enim instar pardorum valent: nec minus timenda est eorum fuga quam aggressio. Si cominus pugnandum (quod nisi necessitate coacti aut occasione ipsis commoda non faciunt) cuspide feriunt

fere ſemper. Laminas æreas aut argenteas, manubriis enſium adligatas geſtant, earum ſonitus, ipſis tubarum, aut tympanorum loco eſt, quod eos ad prælia accendant. Scutis ſe tam probe tegunt, ut nullum feriendi locum hoſti relinquant. Inter Nairos unus ordo militum eſt, (Amochi dicuntur) hi graviſſimis execrationibus ſeipſos, familiam, & poſteros execrantur, niſi injurias ſociis factas ulciſcantur. Si Rex occiditur, tanto cum furore, ad ejus necem vindicandam currunt, ut nec ignis, nec præſentiſſimum periculum eos remoretur: quo igitur major minorve Amochiorum numerus Regibus Indiæ eſt, eo potentiores debilioresve cenſentur. Nairis animos audaciamq; in periculis addit augetq;, quod uxorati non ſunt. Ante aliquot ſecula, harum regionum Princeps (huic forte nota erat Reipubl. Platonis praxis) mulierum inter eos communitatem introduxit: his accedit maxima libertas, vel potius elatio & ſuperbia, non enim plebeio licet Nairo appropinquare, niſi male tractari velit, ipſiq; ſervos ſuos in diverticula viarum præmittunt, qui ipſos venire indicent, ut iis via cedant vel alio ſe conferant. Si verum eſt Ianizaros ad bella audaces animosq; reddi libertate, quæ ipſis pacis tempore conceditur quidquid lubet agendi, multo audaciores elatioresq; redduntur Nairi, qui ſe ab infimæ ſortis hominibus conſpici non ſinunt: ordinarie civitates non inhabitant, ſed domus ipſorum terra, denſis ſepibus ſylvulisque cinguntur, viæ ad eas adeo inter ſe intricatæ ſunt, ut labyrinthi videantur. Quantas copias educere poſſit Calicutii Rex, cognoſci poteſt expeditione, quã in Luſitanos ſuſcepit. Anno 1503 coadunavit 60 bellatorum millia contra Eduardum Paciccum Regis Luſitaniæ Emanuelis Capitaneum, (is tunc Cochin ejusq; Regem tuebatur) & 200 navigia bellica, ſubſtititq;, in ea expeditione totos quinque menſes. Anno 1529 arcem, quam Luſitani in Calicutio excitaraut, & Ioannes Lima defendebat, cinxit obſidione cum exercitu centum hominum millium, perſtititq; in obſidione per totam hyemem, & quamvis Luſitani in propugnanda arce ſe ſtrenue geſſiſſent, potentiam Regis perpendentes, eam ſuis manibus demoliti ſunt. Idem Rex Anno 1561. cum exercitu 90. militum millium obſedit arcem Ciale, venitque in ejus manus, dedente eam Capitaneo Luſitano qui in ea erat. Quid viribus maritimis poſſit, plus quàm ſemel oſtendit: cum enim multorum portuum, in quos multæ naves appellunt dominus ſit, quandocunque placet magnum nauigiorum numerum armis inſtruit. Fa-

tendum

tendum est omnes Indiæ vires maritimas, hodie Lusitanicis inferiores esse, ob navium qualitatem, militumq; præstantiam: eos terra mariq; superiores facit usus amorum defensivorum; & (ut dicatur quod verum est) raro fit ut nudus ferrum non timeat, & armatus audacior nudo non sit. Accidere inde videmus, populos armis defensivis tantum instructos, in bellis agilitate magis, quam viribus se tueri, fugiendoq; plus, quàm pedem pedi conferendo pugnare, quod plus spei in numero, quam in robore ponant, destituunturq; sæpè ea re, quæ exercitus reddit formidabiles, nempe bono ordine.

CAPVT XXI.

DE

REGNO PERSIÆ.

PErsiæ Persarumque nomen, aliquanto tempore suppressum fuit primum ab Arabibus (qui Persis subjugatis, ut eos ignavos redderent, lege sanxerunt, ne amplius Persæ sed Saraceni dicerentur) deinde à Tartaris, primo ducto Chingis, postea Tamerlanis. Sed paulò ante nostra secula, pristinæ gloriæ restituta est Persia, virtute Ismaelis Sophi, de cujus origine aliqua tradere, abs re non erit, quod ad consequendam notitiam Status regnique Persiæ facere videntur. Cum Mahumetes (à quo secta Mahumentana nomen habet) apud Arabes divitiis suæ dominæ (à qua hæres institutus erat) & novo dogmate (quod in vulgus spargere incipiebat) nomen sibi parasset, duxit in secundam uxorem Aissam, cujusdam Bubaci viri prædivitis, & magnæ existimationis filiam: illiusq; & Omari & Ottomari, ejus parentum favore, collegit magnum Arabum numerum, cepitque titulo & prætextu religionis multa oppida, quæ ei vicina erant, deditq; eo tempore Hali suo cognato, in uxorem Fatimam filiam, ex priore uxore, vitaq; decedens, anno suæ ætatis 63. reliquit ei suam ditionem, constituitq; eum caput suæ sectæ cum titulo Caliphæ. Bubacus ægre ferens, quod Mahumetes sibi (cujus favore magnus factus erat) ætate maturo, juvenem prætulisset, ejecit cum ditione, auxilio Omari & Ottomari, qui ipsum Calipham malebant, tum quod eorum consanguineus esset, tum quod ejus ætas jam grandior provectiorq;, spem ipsi cito succedendi faceret, quod accidit

nam Bubaco succeſſere ordine, dicti Omar & Ottomar. Omar à mancipio occiſus fuit: Ottomaro in quadam rixa neci tradito, rediit Caliphæ dignitas ad Halim, ſed eam quiete poſſidere non potuit; nam cepit contra eum arma Mavia, ſub prætextu, quod mortis ſui patroni Ottomari, conſcius fuiſſet: curavitq; eum occidi Cufæ, hæc civitas eſt in decurſu Euphratis infra Bagdet diciturq; ob id adhuc Maſſadal, quod eſt domus Hali, qui ibi ſepultus fuit. Hali mortuo dixerunt incolæ Cufæ, Calipham Ocen filium Fatimæ, ſed & hic loco deturbatus, & veneno necatus eſt à Mavia, qui ſe Calipham abſolute dixit, ſucceſſitque ei Iacit filius. Ocen reliquit poſt ſe duodecim filios, quorum unus Mahumetes Mahadin fuit, eum Mauri non mortuum eſſe ajunt, ſed eum expectantes, dicunt quod ad convertendum Orbem, reverſurus ſit: hanc ob rem in Maſſadalla, in qua ſecundum eorum ſtultitiam, converſionis initiũ futurum eſt, equus ſemper paratus eſt, qui magna cum pompa in templum, quod illi Moſcheam dicunt, ducitur offerturque. Ex controverſiis, quæ Hali cum Bubaco, Omaro, Ottomaro & Mavia interceſſere, remanſere graviſſimæ contentiones cum armorum, tum opinionum; volunt enim Perſæ, Halim ex teſtamento Mahumetis verum Calipham fuiſſe, ſed Arabes favore tres primos proſequuntur. Cum circiter annũ 1363 Mauri nullum Calipham haberent, quod ij finem habuiſſent, anno 1258. in Muſtacen Mumbila (quem Allacu Tartarotum Rex occidit) ſurrexit in Perſia quidam Baro, cui nomen erat Sophi, dominus oppidi Ardevel, qui ſe ſanguine Hali per Muſam Geneſin ejus nepotẽ (unum ex duodecim filiis Ocen) genitum gloriabatur, in cujus memoriam mutavit formam Turbantis (geſtamen capitis id eſt) adjunxitque duodecim acies, conciliavitque ſuæ ſectæ nomen & æſtimationem: huic ſucceſſit Guine filius Adar, cui Aſſambec in Siria & Perſia, potentia celeberrimus princeps, in uxorem dedit ſuam filiam: ſed ejus filius Iacobbeg, authoritatem exiſtimationemque Adar veritus curavit eum occidi, deditque duos ejus filios, Iſmaelem & Solimannum, Capitaneo ſuo Amanzaro, ei injungens, ut eos poneret in Zaliga (is montibus munitus locus eſt) ſed Amanzar, ſui domini crudelitatem deteſtatus, detulit pueros in ſuam domum, curavitq; eos cum ſuis filiis liberaliter educari, cumq; in lethalem morbum incidiſſet, veritus ne adoleſcentes in diſcrimen venirent, dedit eis ducentos aureos, & equos, conſuluitque, ut ſe ad domum matris conferrent.

ferrent. Ismael qui natu maximus erat, domum reversus, statim se patris necem vindicare velle professus est, & post aliquos felices successus, assumpsit titulum protectoris rerum Hali, à quo ipse originem ducebat, fecit Turbantem altiorem, misitque legatos ad omnes Principes Mahometanos Orientis, hortatusq; est eos, ut & una sectam, & insignia reciperent: hac via, armorumque felicitate, fecis se toti Orienti formidabilem, occiditq; Ocen, qui se tunc Persiæ Regem inscribebat, & decem ejus fratres, solus Marabecus elapsus, imploravit in auxilium Selimum 1 Regem Turcarum. Vicit Ismael magno prælio ad lacum Vay Regem Tartarorum Zagataiorum, volentiq; persequi victoriam, transmittereq; cum exercitu fluvium Abbiano, dissuasum id fuit ab Astrologo, cui multum fidebat, qui ei dixit, se quidem fœlices successus in progrediendo videre, sed nullum iter ad regrediendum apparere. Reliquit Ismael filiis amplissimum dominium, quod Mari Caspio, Sinu Pesito, lacu Siocco, fluminibus Tigri & Oxo (ni malimus dicere Abiano) & regno Cambajæ comprehenditur, quod spacium est plus quàm 20, graduum ab Ortu ad Occasum & 18. à Septentrione ad Meridiem, continentur hoc spacio multa amplaq; regna, quæ quamvis non omnia sub ejus dominio immediate essent, agnoscebant tamen eum pro supremo Principe, nempe Reges Macram, Patani, Guadel, Ormuzii, (cui Ormuzo nunc Lusitani dominantur) Georgiani sequebantur ejus insignia. Ismaelis erant multæ amplæq; civitates & nationes. Media quæ nunc Servan, Diarbecca quondam Mesopotamia, Cusistan, quam inhabitarunt Susiani, Farsistan Persarum patria, Strava quæ quondam dicta fuit Hircania, Parthia quæ hodie Arac, Carmania nunc Chermain, Sigestan, Caraffan, Sablestan, Istigias, quarum antiqua nomina sunt Drangiana, Bactriana, Paraponisus, Margiana. Harum regionum aliarumq; quarum nomina non edo, ea pars quæ Sinui Persico vicina est, affluit omnium rerum utilium copia, propter flumina, quæ ipsas intersecant: inter ea flumina, nobilissimus est Bindimirus, cujus aquis multum utuntur illi populi, ducunt enim illas fossis aliisque quibusdam instrumentis in suas possessiones suo magno usui & commodo. Provinciæ Mari Caspio vicinæ tum ob fluviorum oportunitatem, tum propter aëris temperiem, sunt ejusdem fertilitatis participes, qualis est illa pars, quam fluvius Pulimalon perlabitur (is se in lacum Burgianum con-

dit) reliqua regionis pars ſicca eſt, quare nec oppida, nec pagi ibi frequentes ſunt, niſi iis locis, quæ fluvii aut lacus alicujus beneficium experiuntur. Ampliores ditioresq; civitates imperii Perſici ſunt Iſtigias, caput Bactrianæ, quæ inter amœniores Orientis cenſetur, Indion caput Margianæ, in territorio tàm uberi lætoq;, ut Antiochus Soter eam muro cingi fecerit, Candahar, caput Parapomiſi, multique commercii propter concurſum mercatorum Indiæ & Cathaiæ, qui harum regionum opes eo ferunt, Eri, caput Provinciæ Ariæ, quæ roſis tàm copioſa eſt, ut ab iis nomen ceperit, Barbarns dicit eam 13 milliaribus ambiri, Iſpaam caput Parthiæ, eam aliqui illam eſſe volunt, quam antiqui hiſtorici Ecatompylas dixere, tanti momenti eſt, ut Perſæ de ea hyperbolice dicant, eam medium Orbem eſſe. Chirmain eſt Metropolis Caramaniæ, celebris propter excellentiam pannorum aureorum argenteorumque, qui illic conficiuntur. Eor, quoque nobilis civitas eſt, nec ei inferior Cuſtra Suſianæ caput. Sed omnes cedunt genuaq; quodammodo deoſculantur (quo ad pulchritudinem) civitati Siras, ad fluvium Bindimirum: fuit ea quondam Metropolis Perſarum (ut aliqui volunt) dicebaturq; Perſepolis. Alexander Magnus inſtinctu ſui ſcorti, tradidit eam flammis: cum autem ſeipſum poſtea ſui fere puderet, fecit eam teſtaurari. Quamvis hodie non ſit tantæ amplitudinis, quantæ olim fuit, æſtimatur tamen, eam maximarum civitatum Orientis unam eſſe, circuit cum ſuburbiis plus minus 20 milliaria, inſtruitque 60. focorum millia. Perſis in proverbio eſt: quando Siras erat Siras, tum Cairus erat ejus pagus; non habent tamen eam pro valde antiqua, nec accedunt eorum ſententiæ, qui eam Metropolim Perſarum faciunt. Tauriſium & Casbin ſunt quoq; civitates nobiles, & præter amplitudinem oſtentant ſe propter Aulam regiam. Forma Reipublicæ horum populorum non eſt æqualis alicui alteri populo Mahumetano, nec ullo loco inter hos ea politica regendi forma viget, quæ apud Perſas. Aliæ omnes excindunt fere omnem nobilitatem, utunturq; opera mancipiorum, occidunt fratres aut excæcant eos, ſed apud Perſas habetur nobilitas in precio: Reges tractant humaniter fratres, habent in ſua ditione multos potentes, opibusq; claros Principes, quæ omnia Ottomani in ſuo imperio non ferunt. Equitatus apud Perſas in precio eſt, & ingenuitas, muſica & bonis literis delectantur, ſtudent poeſi, evadunteq; ſua lingua excel-

excellentes, Astrologia quoque laudatur apud ipsos; hæc omnia contemnunt Turcæ. Mercatura manuariæque artes florent in Persia: ut concludam, Turcas superant civilitate & humanitate. Hujus regni vires consistunt potius in virtute quam numero. Sunt ibi tria militum genera: unum eorum est, quos Rex semper habet stipendiarios & apud se: alterum est Timariottorum; habet enim Rex magnum equitum numerum quibus stipendiorum loco, certa loca attribuit (quod Turca facit): tertium est auxiliariorum, qui ære suo merent. Conscribuntur ex Georgianis & Tartaris, Sed loquendo de duobus primis generibus, quæ regno Regique propria sunt, duo hæc militum genera sunt equites: ubi enim arma sunt in manibus nobilium, ibi peditatus vix alia est ratio: ex eadem causa sequitur, quod Persæ viribus maritimis instructi non sunt. Et quamvis mare Caspium ab uno latere, Sinus verò Persicus ab alio sit, nunquam tamen classibus nec in uno, nec in alio mari usi sunt. Mare Caspium quoque (quamvis octingenta milliaria longum sit, latumq; sexcenta) non trausmittitur aut navigatur, nisi juxta littora. Lusitani imperant mari Persico suis clasibus, quas semper in insula Ormuz habent. Etsi Persia abundat metallis, temperatura excellentibus, præcipue provincia Carazam: bellicorum tamen tormentorũ nullum fere usum habent, sicut nec muniendi, oppugnandi, obsidendi, servandi, defendendiq; loca, quod hæ militiæ partes peditatui magis propriæ sunt, sicut equitatui proprium est, in patentibus campis justis præliis confligere, in quibus Persas multum valere negari non potest. Ultra militiæ necessarias res, laborat militia Persica adhuc alio gravi malo, nempe discordia, quæ duabus ex rebus oriri solet: una est Principum potentia, cui plurimum superbia & contumacia conjuncta esse solet: alia est itinerum, & ducendi exercitus difficultas, quæ ex aquæ fluviorumque navigabilium penuria nascitur. Flumina enim Persiæ non navigantur, aut tam parum navigantur, ut quod præstant, nullius fere momenti sit: omnes in Sinum Persicum influunt, aut in Mare Caspium, ut regiones quæ in medio jacent, relinquantur aridæ & aquæ inopes: quam ob rem vires regni jungi non possunt: regnum enim dimidium siccum est, nec flumen aliquod hic est, quod toti regno serviat, sicut Ligeris Franciæ: Padus Longobardiæ: Vistula Poloniæ: Scaldis Flandriæ, aliaque aliis regnis faciunt. Terræ desertæ quoque hic sunt.

quæ

quæ Provincias à se invicem disjungunt: montes etiam, qui eas à se invicem separant. Has ob res, mihi hoc regnum, Hispaniæ simile videtur, ubi nec fluvii commercio utiles sunt, præter quam in finibus provinciarum: & montes ac regiones, propter ariditatem, incultæ sunt. Sed natura, ut commercia adjuvaret, commoditatique vitæ humanæ, in locis aqua navigabili indigis, prospiceret, dotavit Persiam, regionesque vicinas Camelis, qui commodissimi sunt; ferunt enim onera graviora, quam equi aut muli ferre possent, perdurantq; diu in labore, ferunt onus mille pondo, continuabunt iter 40. & pluribus diebus, & in locis siccis sabulosisque: sicut sunt Lybia, Arabia, Persia, in quibus aqua & pascua desunt, bibunt tantum quinto die semel, & si opus sit, ferunt sitim, per decem & plures dies: quod ad pabulum attinet, onere levatis, datur pro pabulo modicum herbæ, spinæ, aut rami arborum. Non itaque ullum animal est, quod laborem diutius ferat, minorisque sit impensæ: propter has conditiones, accommodatissimum est regionibus aridis & siccis, Asiæ & Africæ, in quibus homines summa inopia aquæ & ciborum laborant; cum enim Camelo parum sufficiat, potest tamen in aliorum usum, magnam commeatuum quantitatem ferre. Tria sunt eorum genera, minoribus insident homines: mediocres, duos gibbos habent, ferendisq; mercibus valent: majores crassioresq; onera mille pondo ferunt. Hæc de Camelis dixisse sufficiat. Quem equitum numerum Rex persiæ educere possit, visum fuit bellis inter Ismalem & Selimum I. Regem Turcarum, inter Ismaelam & Solimanum, & inter Codabendam & Amuratem III. gestis: nemo horum Regum habuit ullo in loco contra Turcas ultra 30. equitum millia sed armis adeo, instructos equites, ut multo majoris exercitus impetum non timuerint. Equites Persiæ, quibus suppetit res, quique ditiores inter ipsos sunt, armant se fere in modum nostrorum cataphractorum, alii (qui duas ac tertias equitatus partes conficiunt) contenti sunt galea, lorica, scutoq;, utunturq; lancea arcuque alternative. Sed dicamus pauca de reditibus, quibus auxiliarios conducere possit. Profiteor me præcise non scire, ad quam summam ejus reditus accedant, duo enim, qui dedita opera, eo profecti sunt, ut explorarent, quæ Regis Persiæ opes essent, inter se dissentiût, diversaq; loqui audivi, unus tres, alius quinque aureorum milliones annui reditus ei attribuit; hoc autem dico, ex duobus argumentis

tis colligi posse, ipsum opulentum esse: unum est, quod Tamasus, ejus qui nunc regnat pater, toto suo regno sustulit vectigalia omnium exportatarum & importatarum mercium. Id vectigal reddebat 60 Tomanorum millia, quæ conficiunt millionem, & octingenta aureorum millia; unus enim Tomanus valet 20 aureos: ut autem id faceret, induci non potuisset, nisi alii reditus, ei animos dedissent. Aliud argumentum est, quod Status Persiæ in septem Provincias divisi sunt, quarum ea, quæ Ipsaam dicitur, reddit septingenta aureorum millia: tantundem dat Siras, nec tamen inter ditiores censentur hæ duæ; eas enim longe superant Coraſſan, Diargument, quarum illa fodinis Cyrneorum, metallorumq;, hæc seryci prædives est. Sed unde percipit suos reditus, si se vectigalibus, invectarum & evectarum mercium spoliavit? Ex territoriis sui dominii, ex decimis fructuum, ex fructibus minærarum, ex officinis; unusquisque enim officinam, aut tabernam quarumcunque rerum ponere volens, certi quiddam Regi quotannis pendere debet: ex donis quoq; particularium, & donationibus communitatum, confiscationibus, aliisq; rebus talibus. Adferunt quoq; aliquid tributa Principum coronæ subditorum, quales sunt Principes Far & Candaar, aliiq; quos supra nominavimus. Ab Ortu Mogorum, à Septentrione Zagataiorum fines attingit Sophi: ab Occasu longissimo tractu, Persiæ conterminus est Turca, ad Meridiem habet regnum Ormuzii, cui corona Lusitanica dominatur. Cum Mogoris nihil fere negocii Persiæ Regi est, propter causas alias deductas: sicut enim Hispania & Francia, se mutuo offendere non possunt, propter itinerum angustias & asperitatem situum ad limites, quæ commeatum (qui exercituum sustentatio est) transvehi non sinunt, ita & inter confinia Indiæ & Cambaiæ à Mogoris occupata & ditiones Persarum, se interponunt montes, & deserta, quæ non permittunt, ut justis viribus se invicem hi Principes impetant. Pro maximo quoq; obstaculo habendum est, quod equitatus, in quo amborum vires sitæ sunt, in talibus locorum angustiis explicari non potest: petunt tamen se invicem bello, ad fines regnorum Cabul & Sablestam, quorum aliqui Principes Mogotorum sibi dominium pararunt. Sophi immediate Magni Cham fines non attingit, quod aliqui Principes, & deinde magna deserta inter ipsos sint. Videtur ipsum pro termino sui Imperii, sibi statuisse flumen Oxum, quod

alii Abianum dicunt, id in Sableſtam ſubtus montem Dalanguer, poſt longum curſum, in quo multum protenditur, propter frequentiam & amplitudinem fluminum, quæ recipit, condit ſe in mare Caſpium, dividitq; à parte Septentrionali Sophum à Zagatai. Sophus nunquam auſus fuit hoc flumen transmittere, & cum Saba Rex Zagataiorum id transgreſſus eſſet, magno prælio ab Iſmaele victus fuit. Cyrus Rex Perſarum conſtruxit pontem in hoc flumine, transduxitq; exercitum, adverſus Tomirim, Scytharum reginam, quæ ipſum cum omnibus ſuis concidit. Turcæ conterminus eſt Sophi per totam imperii ſui longitudinem occidentalem, nempe, à mari Caſpio, ad Sinum Sauracenſem usque ſpacio fere 15 graduum. Vt verum fatear, non habet Perſa hoſtem, à quo plus ei periculi timendum ſit, cujusq; vires ei plus metuendæ ſint quam Turcam, quoties enim arma cum eo contulerunt Perſæ, fere ſemper aliquid perdiderunt. Mahumates vicit Vſſuncaſſanum, eripuitque imperium Trapezuntinum Davidi, qui ſe ſub ejus umbram protectionemque contulerat. Selimus I. ſuperavit in locis campeſtribus Iſmaelem, eripuitq; ei Caramit (civitatem ampliſſimam fortiſſimamque) Orfam, Merdin, totamq; regionem, quam ipſi Alech, nuncupant: Solimannus egit in fugam Tamaſum, ſpoliavitque eum Bagdeto, & tota Meſopotamia. Ætate noſtra, occupavit Amurathes, id omne quod inter Derbentum & Tarviſium jacet, quod in ſpacio eſt Georgia (cujus populorum pars maxima, ſequebatur partes Sophi) Servant: & munitis arcibus (quas in Tiflis, Sumachia, & Eres magnis civitatibus, & in tranſitibus Cars, Tomanis & Loriædificari fecit) reddidit paulatim ſibi iter ſecurum, ab Ezechia ad Orontem fluvium usque, qui trium dierum itinere, ultra Tauriſium fluit, in qua civitate (Tauriſio) curavit ædificare magnam arcem, nec cogitat eam relinquere, ſicut primum Selimus & deinde Solimannus fecere, ſed vult ea arce Tauriſium tanquam freno conſtrictam, in perpetuum retinere. Eo bello, quod ab anno 1567 in 91 annum usque duravit, mutarunt Turcæ ſuum belligerandi modum; cum enim huc usque ſuæ multitudini virtutiq; ſuiequitatus, peditatusq;, copiæ tormentorum bellicorum, apparatuiq; bellico conſili, non curarint arces, munitionesq; extruere, ſed ut plurimum quicquid ceperant exciderint, nec magnifecerint quod retinuerant (quod ut verum dicatur, in campis fortis eſſe nõ poſſit, qui vires in loca munita diſpartitur)

hoc

hoc bello Perſico neceſsitas coegit Turcas, (ut evitarent errores, in quos impegerunt Selimus & Solimannus) ſe paulatim munire, fecerunt itàque caſtella, in locis oportunis, ædificarunt civitatulas, in præcipuis civitatibus, inſtruxeruntque eas magno tormentorum bellicorum & militum numero, conſtetitque eis id bellum magno. Quamvis autem Perſa, improviſis aſſultibus, multa hominum millia, in fruſta diſſecuerit, multaque eorum millia fame commodisque perierint, tantum tamen terræ amiſit, tum ſuæ propriæ, tum amicorum, quantum jam dictum eſt, & inter alia ſuam civitatem regiam Tauriſium. Æſtimaturque Turcam, in ditione, quam ſibi bello paravit, inſtituiſſe 40 Timarrorum millia, & quod ei adhuc auri millio, ex reditibus ejus ſuperſit. Perſa non poteſt reſiſtere Turcæ in præliis campeſtribus, ei enim peditatu, tormentis, & apparatu bellico & (quod ſummum eſt) obedientia populi conferri non poteſt Selimus I. Solimannus & Amurathes III. nunquam contra Perſas arma moverunt, niſi aut à rebellibus, aut ipſorum diſcordiis invitati: Selimus à Marobecho, filio Ocen, Principe in Perſia potentisſimo, in auxilium vocatus fuit: Solimannus auxilio venit Elcaſo Tamaſi fratri, cui ex ambitione, aut ſuſpicione erat infenſisſimus. Turca itaque ſuo commodo uſus eſt benevolentia, qua Elcaſus apud populum valebat, ejusque authoritate: Amurathes non ante arma cepit adverſus Perſas, quam ex literis Vſtaff Baſſæ Vani civitatis, & aliorum intellexiſſet, omnia contentionibus flagrare apud Sultanos Perſiæ, qui inter ſe de rege diſſidebant: quidam enim Iſmaelem, alii Ayner (qui ambo Tamaſi filii erant) volebant, & Periacocona, occidit ſuum fratrem Iſmaelem, excluſoq; Ayner, conſequutus eſt coronam Mahumetes Codabanda. Exortæ ſunt poſtea diſcordiæ, inter Codabandam & filium, & inter Turca monos (familiam inter Perſas potentisſimam) & Regem, quæ Perſis non minus nocuerunt quam arma Turcica. Nullum negocium eſt Regi Perſarum cum Luſitanis Ormuzii, quod ipſi nec vires maritimæ (ſine quibus id regnum recuperari non poſſet) ſint, nec Luſitanis ſatis virium eſt, ut in mediterraneis regionibus, ſibi aliquid acquirere posſint. Tamaſus ipſe, cum aliquando inſtigaretur, ut expeditionem, in Ormuzium ſuſciperet, rogavit, quid ea in Inſula creſceret, num frumentum, fruges, fructus, aut quid aliud boni? cumque intellexiſſet fundum Inſulæ ſterilem, omniumque rerum

esse inopem, sed commercio valde conducere Insulam, ideoque magni momenti esse, neglexit, irrisitque eos, dicens se, suis populis remisisse nonaginta Tomanorum milliatalis reditus.

CAPVT XXII.
De
REGNO JAPONIÆ.

JAponia dicitur multarum variarumque insularum diversæ magnitudinis corpus, quæ sicut à cætero Orbe terrarum situ distinctæ sunt: ita à populo multum ab aliis, moribus ritibusque dissimili incoluntur. Hæ insulæ parum à se invicem distant, instar Maldivarum in mari Indico: Hebridarum, & Orcadum in Oceano Septentrionali. In iis sunt 66 regna, quæ in principales partes tres dividuntur, quarum pars una novem; altera quatuor, tertia 53 regna complectitur: inter quæ quinque regna Coquinai; nobiliora & illustriora sunt, in quibus est fama celebris civitas Meaco, acciditque plerumque, ut qui eorum quinque regnorum dominium sibi paraverit, aspiret ad Imperium totius Japoniæ, quæ à nova Hispania 150 à China 60 leucis distat. Pro sterili potius, quam fertili habenda est Iaponia. Capaci ingenio præditi sunt incolæ, & in adversis incredibili patientia præstantes; puerulos recens natos in fluminibus lavant, & cum ablactati sunt, removent eos à matrum aspectu, exercitantque venatione. Nudi capite, viri & mulieres incedunt, tum cœlo pluvio quam sereno, gloriæ honorisq; cupidi sunt, paupertas nobilitati sanguinis nihil detrahit, minimam injuriam inultam non sinunt, honorant se mutuo multis cæremoniis, graves simul, animoque sedato sunt, sicut Hispani, cavent diligenter ne in factis dictisve se timidos aut objectos animis monstrent, infortuniorum calamitatumq; suarum neminem conscium faciunt. Animalia tam fera quam mensueta eadem, quæ nos, habent, sed vix alia, quam ferarum venatione captarum carne vescuntur. Verum quidem est, quod carne non multum delectentur, sed plurimum herbis, piscibus, hordeo, oryza vivunt, sunque hæc præcipua eorum alimenta, vinum quoq; ex iis faciunt. Aquam, cui pulvis pretiosus valde admixtus est, indelitiis habent: hunc potum vocant Chia-

Ædi-

Ædificia ipsorum ut plurimum ex ligno sunt coſtructa, tum quidem quod regiones mediterraneæ plerumque lapidum inopes esse soleant; tùm verò etiam quod arboribus, ad ædificandum maxime aptis, (inter quas Cedrus in admirabilem incredibilemque altitudinem crassitudiemque excrescit) abundent, & quod Iaponia terræ motibus valde obnoxia sit. Principi, qui nuncupabatur Dairi, paruit quondam tota Iaponia; hunc summa obedientia, reverentiaque colebant incolæ, quod magna cum gravitate majestateque regeret, duravitque plus minus 1600 annos. Sed quingentis ab hinc annis insurrexerunt in eum duo ejus præcipui ministri, turbarunque totum Imperium; nam eorum unusquisque, tot regnorum dominium, sibi armis arripuit, quot potuit, spoliavitque iis Dairi. Crevit deinde ambitio, cum modo hic, modo ille rebellis fieret raperendo; sibi, hic unam, alius aliam Imperii partem: cum titulo tamen Iucatai (quod Regem sonat) relinquerunt ipsi Dairi nomen, quod est Domini universalis Iaponiæ, sed sine jurisdictione, aut dominio ullo; imo vix in dapes & cultum aliquid ei pendebatur ab illis Principibus, qui Meaco vicinas ditiones habebant: ita ut umbra tantum veteris amplitudinis & Monarchiæ Iaponiæ, penes eum manserit. Ab hinc quingentis annis se Dairi loco, Imperatorem, aut Regem Iaponiæ dicit ille, qui sibi dominium Coquinai arripuit (vocat se quoque Dominium Tenzæ) ubi illa quinque regna civitati Meaco vicina sunt. Talis fuit nostro ævo Nabunanga, nunc autem Fassiha, qui dominii amplitudine potentiaque, omnes suos prædecessores superat: Nabunanga, qui præ aliis excelluit, non plus quam 36 regna sibi comparaverat, sed Fassiha ut minimum 50 eorum sub jugum egit. Iaponiæ regimen differt plurimum ab eo regendi modo, qui in Europa in usu est. Potentia Principis Iaponiæ, non consistit in reditibus ordinariis, aut in benevolentia populi; sed in authoritate imperioque: nam ubi primum unam, aut plures ditiones sibi comparavit, dividit regna, partiturque ditiones inter amicos, & sibi fidos, qui ei se tam pacis quam belli temporibus obligant, cum certo hominum numero suis sumptibus inservire. Hi rursum eas ditiones inter sibi fidos sub dividunt, ut ad eorum obsequia parati sint, aliquid sibi suæq; domus usibus reservantes, ita ut omnes Iaponiæ opes, tàm privatæ quàm publicæ à paucis dominis, hi pauci autem ab uno, nempe Tenzæ Domino, dependeant, qui

pro libidine, dat aufertque quod vult, premit, extollit, favet, reducitque ad inopiam Principes, cumque eorum uni ditio eripitur, mutantur omnes nobiles militesque ejus ditionis, manentq; tantum artifices, & agricolæ. Ea regiminis forma converſiones perpetuas, mutationesque imperiorum ſecum trahit: nam Dairi (quamvis ei nec potentia, nec imperium ſit, eſt tamen apud populum in dignitate, ac reverentia) facit ut Dominus Tenzæ aliiq; Principes Tyranni, alienarum rerum uſurpatores, everſores Monarchiæ, hoſtesque amplitudinis Iaponicæ videantur, quod ſane & eorum æſtimationem tollit, & animos populorum avertit: inde accidit ut facile ſe moveant, capiantque arma, ſperantes ſe ampliores facere, deprimendo ſocios. Cum itaque Principes quotidie mutentur, non poſſunt à populo, tanquam Domini naturales amari, iique cum incerti ſint de domino, uni ditioni, quam alteri addictiores non ſunt; ſed ſperantes eadem facilitate, qua unam nacti ſunt, ſe aliam meliorem nanciſci poſſe, exponunt periculo hanc pro illa, ſicut in luſu chartæ & aleæ fit: nunc per ſe, rurſus cum aliis conjuncti, tentant diverſa, detinentq; iis modis omnes illas inſulas in perpetuis bellis. Faſſiha ut ſibi abſolutum dominium, aut potius tyrannidem paret, ſolet Principes ex una regione, in aliam ſæpe transferre: ut Domini ſuis dominiis deturbati, degentesq; inter exteros vaſallos, impotentiores ſint, nec adverſus ipſum adſurgere, aut rebellare poſſint: & ut minus valeant, dividit regna, ditionesq;, ita ut Domini non habeant ditiones unitas. Nunquam deeſt illis cauſa diſſidii bellorumque quod fines ditionum anguſtæ ſunt. Vult quoque Faſſiha, ut in his Statuum viciſſitudinibus, tam ij quorum conditio potior, quam ij quorum res deterior facta eſt, reverentiam homagiumq; (ut dicitur) faciant, ſeque ipſi quotannis, quam opulentiſſime ſiſtant: qua re potiſſimam divitiarum Iaponiæ partem ad ſe trahit. Populos occupatos tenet, in ædificandis palatiis admirabilibus, templis ampliſſimis, in fabricandis arcibus & civitatibus, quibus nullæ aliæ ſimiles ſunt: in iis ſubſtructionibus plus quàm centum operariorum millia, ipſorum expenſis, diverſis in locis labori incumbentium habet. Inter alia nunc templum ædificari curat, cui omne Iaponiæ ferrum inſumere vult: præcipit enim omnibus mercatoribus, populoq; ut arma omnia in certum locum comportent, ut illi fabricæ impendantur: exuit hoc opere populum armis facitq; parvo tem-

poris

poris ſpacio opera magnifica, habet enim duabus tantum in partibus, laboratorum, ſuis expenſis opera facientium, plus quàm centum millia. Vltra obligationem, qua Reges & Principes, tàm pacis quàm belli tempore, ſe ſiſtere eique ſervire tenentur, percipit duos milliones ex reditibus oryzæ, quæ ex poſſeſſionibus quas ſibi retinuit, colliguntur. Propoſuit ubi confecerit ea, quæ in Iaponia facere conſtituit, Chinam aggredi, ut eam ſuo Imperio addat; ad hoc præcipit ſcindi ligna duobus navigiorum millibus ſufficientia, ut iis exercitum tansmittat. Tâm amplis ſubſtructionibus, magno molimine, tanta ditionis amplitudine, adjectioneque regnorum ſuo Imperio, ſperat ſe immortalem reddere, futurumq; ut pro Deo colatur, ſicut ij omnes fecere, qui apud Iaponenſes deorum nomina adepti ſunt. Amida enim, Xaca, Canis & Fotoque nihil aliud quàm Domini Iaponiæ fuere, qui belli gloria, aut pacis artibus ſibi in Iaponia opinionem divinitatis pararunt; ſicut olim Hercules & Bachus in Græcia, Saturnus & Ianus in Italia: nec minus fabularum nugarumque de his, quam de illis narratur. Faſſiha autem videns lege Chriſti, non probari alium Deum, præter eum qui cœlum & terram ex nihilo creavit, & ex conſequenti deteſtari omnes deitates ſtulte fabricatas, præpoſuerat in exilium agere omnes patres Ieſuitas, qui eam concionabantur, evellereque novam vineam, quæ in illis regionibus altas radices agere Incipiebat. Superbiæ profecto exemplum memorabile hoc eſt; Romani enim Imperatores, omnibus viribus ſe prædicationi S. Crucis & Evangelii oppoſuerunt, ut ſua Idola tuerentur & conſervarent, quæ omnia lex Dei demonia vanitatemque eſſe docet. At hic movet bellum fidei Chriſtianæ, ut ſibi deitatem arroget, quod extremæ eſt ambitionis, & amentiæ, dum ſe pro Deo haberi vult. Sed inter tam vastas & immenſas cogitationis ſuſcitavit ei Deus novum hoſtem, qui ab Orientalibus Iaponiæ partibus ſe movet adverſus ipſum, quod ex literis anni nuper elapſi intelligitur.

CAPVT

CAPVT XXIII.

DE

IMPERIO PRESBYTERI IOHANNIS.

IMperium Presbyteri Iohannis, quamvis sit ampliſſimum in effectu tamen non reſpondet famæ opinioniq;, quam vulgus, potiorque ſcriptorum pars de ipſo habet. Horatius Malaguccius, in ſuo diſcurſu de amplitudine dominiorum hujus temporis, vult ipſum habere dominium latius, quàm ullum alium Principem, excepto tamen Rege Catholico. Fateor equidem antiquis temporibus, ipſius ditionem ſe longe extendiſſe, ut ex multitudine regnorum, quibus ſuos titulos amplificat, quoq; æſtimari poteſt. Inſcribit ſe enim Regem Goiame (quod regnum ultra Nilum eſt) Vangue, & Damur quæ ultra Zairi fluvium ſita ſunt; cum tamen hodie pro certo ſciatur, ejus Imperium vix Nilum attingere. Scribit quoque Ioannes Barrozius, Abiſſinios ejus fluvii exiguam notitiam habere propter montes qui inter illos, & hunc ſunt. Centrum ejus ditionis eſt Barcena: ab Ortu enim extendit ſe, à Suaquem, ad oſtia maris rubri usque, quod ſpacium 122 leucas comprehendit, verum quidem eſt, intra mare rubrum, & ipſum eſſe aciem montium, quos Mauri incolunt, qui & in ſocis maritimis dominantur. Ad Occaſum eſt acies montium, ſecundum Nili curſum, quos Gentiles inhabitant, penduntque ei tributum. Ad ſeptem Triones, termini ejus conſtituendi ſunt, imaginaria, quæ à Suaquem ducatur, ad caput Inſulæ Meroe usque, extendaturque ad 125 leucas: inde arcus non admodum incurvus faciendus eſt Meridiem verſus, ad regnum Adeæ usque, (in cujus montibus naſcitur flumen, quod Ptolemæus Ratto vocat, ponitque ſub Melinda) ſpacio 250 leucarum, ad fines Gentilium; hic verte lineam imaginariam, facque finem in regno Adel, cujus Metropolis eſt Arar, in altitudine novem graduum. Habet ita totum hoc regnum in circuitu, plus minus 672 leucas. Hæc regio diſtincta eſt in ampliſſimas planicies, lætas colles, altos montes, ſed culturæ aptos, frequenterque inhabitatos, & cum frumento non abundet, hordeum & milium & ſemen quoddam bonum duţabileque producit. Eſt ibi ſatis milii, Zaburri (quod nos frumentum Indiæ dicimus) omneque leguminum noſtratium genus: ſunt & ibi

ibi adhuc alia, sed nobis incognita, uva eis non deest, sed inde vinum non exprimunt, nisi in Principis & Patriarchæ ædibus. Vini loco conficiunt potionis genus ex fructibus Tamarindi, qui acer est, Medicæ, citreæ, cedri arbores nascuntur sua sponte. Exprimunt oleum ex certo fructu, quem ipsi Zeva dicunt; id aurei coloris est, sed inodoratum. Apes mellificant etiam in domubus, unde cetæ & mellis incredibilis copia ibi est. Omnes ipsorum panni sunt ex gossypio contexti: ditiores vestiuntur pellibus vervecum, honoratiores autem exuviis leonum, tygridum, lincium. Divites sunt incolæ boum, caprarum, ovium, mulorum, asinorum, camelorum, equorum, quantumvis parvorum gregibus, sed ex Arabia & Ægypto eorum magna copia adducitur, quando equæ pepererunt, eis pullos non ultra tres dies relinquunt, deinde eis vaccis subjiciunt, quæ eos ablactant. Habent etiam talia animalia, qualia nos habemus, etiam gallinas, anseres, similiaque, nempe vaccas, porcos sylvestres in magna copia, cervos, capreolos, lepores, sed nullos cuniculos. Præter hæc habent pantheras, leones, elephantes, lynces. Vt finem faciam, non est alia regio generationi multiplicationique, tum plantarum, tum animalium hac aptior: sed parum adjuvatur industria incolarum; eo quod natura ingenioq; tardi sint lentique: habent enim in primis linum; sed non texunt telam: cannas mellis; sed saccharum inde deducere non norunt: ferrum; sed ejus usum ignorant, habentque fabros pro nigromanticis. Sunt ibi flumina & aquæ, nec tamen iis agros irrigant, nec reddunt eos fertiliores. Quid venatio & piscatio sit, vix intelligunt: itaque campi avibus animalibusque sylvestribus, flumina & lacus piscibus scatent. Altera causa est, quod plebs à primariis male tractetur: pauperes itaque videntes sibi auferri quod habent, non faciunt plus sementis, quàm necessitas exigit. Loquendi regulas non habent, & ad epistolam conscribendam, copia hominum, multisque diebus opus esset. In comedendo non utuntur mappis, mantilibus nec mensis. Medicamentorum nullum usum habent. Nobiles, cives, plebei habitant distinctè, possuntque nobilitatem facto aliquo egregio acquirere. Primogeniti ex asse hæredes sunt. In tota Abissinia non est oppidum, quod plus quàm 1600 focos habeat, suntque valde pauca ejus amplitudinis. Nulla ibi arx, nec locus munitus est, æstimantq; Spartanorum more, quod regnum conservari, defendiq; brachiis debeat, non propugna-

culis ex terra aut lapide. Ut plurimum in pagis dispersi habitant. Mercimonia ipsorum fiunt permutatione rei unius cum alia, supplentq; justum precium frumento & sale: piper, thus & mirham & sal, auro appendunt. Aurum pondere quoque expenditur: argentum ordinarie in usu non est. Major cœtus conventusque est aula Principis, quæ nunquam fixa manet, sed modo huc, modo illuc commigrat, habitatque Princeps in campis, sub tentoriis: hæc aula occupat decem & plura milliaria. Forma regiminis Presbyteri Johannis satis refert despoticum; deprimit enim valde vasallos, tum potentes, tum pauperes, tractatq; eos potius tanquam mancipia quam subditos: quo hoc tutius faciat, ita se gerit, ut ab eis tanquam divinus sacerque colatur. Ad nomen Principis inclinant se, tanguntque manu terram: reverentur tentorium, in quo ipse habitat, etiam ipso absente. Solitus erat Princeps se quoquo tertio anno, una vice, populo visendum præbere, postea largiores sunt facti, seq; tribus vicibus quotannis spectandos dederunt, nempe diebus Nativitatis, Paschatis & Sanctæ crucis, in Septembri. Panusius, qui nunc regnat paulo mansuetior factus est. Quando aliquid ejus nomine alicui quicumq; is fit, mandatur, audit is mandata, à cingulo sursum nudus, nec nisi Regis licentia vestem resumit. Iurejurando ad perhibendum veritati testimonium adacti, non solent veritatem dicere nisi juraverint per Regis vitam: datis aufertque magnam ditionem cui ipsi placet, nec ei qui privatur, facere demonstrationem, se id ægre ferre, licet. Confert ordines sacros, & administrationes Sacramentorum, disponitque prolibitu, tàm de Religiosis, quàm Laicis, & ipsorum bonis. In itineribus equitat circumdatus cortinis rubris, altis longisque, quæ ipsum retro, & à lateribus cingunt. Defert secum magna cum reverentia duodecim lapides altaris sacrator, qui ipsorum sacra sunt. In capite coronam, cujus una medietas ex auro, altera ex argento est, crucemque argenteam manu gestare solet: faciem cooperit particula Taffette cærulea, quæ plus minusve attollitur dimittiturque, secundum quod ipse suum favorem, erga eum cum quo agit, indicare vult. Aliquando summum pedem monstrat, quem extra aulea exerit: ad ea non nisi post longum tempus, multas cæremonias, diversosque internuncios, qui ferunt referuntque mandata, accessus datur. Nemò præter Regem vasallos habet, cui quotannis homagium præstent, deferantque obedien-

bedientiam, quam ſubditi Regi debent. Originem trahit hic Rex à Salomonis, & Reginæ Sabæ filio, cui Meilech nomen fuit. Receperunt Abiſſini fidem Chriſtianam Candace regnante, cujus tempore cœpit in Aethyopia regnare, floreque Gaſparis, à quo poſt 13 generationem deſcendit Iohannes qui Sanctus dictus fuit. Hic circum tempora Conſtantini Imp. quod filios non haberet, Regnum filio natu majori Caji ſui fratris relinquens inveſtivit Balthaſarum & Melchiorem, natu minores; illum regno Fatigar; hunc regno Goiame. Fuit itaque ſtirps regia diviſa in tres familias, Gaſparis, Balthaſaris & Melchioris, ordinavitque, ut Imperium eſſet elective uni ex dictis tribus familiis, modo is primogenitus non eſſet, quia ij haberent ſua regna propria. Vt autem tumultus ſcandalaque vitarentur, præcipit ut fratres Imperatoris, cum propinquioribus parentibus includerentur in arce montis Amaræ: voluit præterea, ut ibi ponerentur filii Imperatoris, qui nec in Imperium ſuccedere, nec aliquo Statu gaudere poſſint. Ob hanc cauſam Imperator ut plurimum uxorem non ducit. Suos agros per ſua mancipia, ſuosque boves colit, ea mancipia multiplicantur quotidie, contrahunt enim inter ſe conjugia, filiique permanent ejus conditionis cujus erant progenitores. Ttributa expenduntur ab omnibus, qui dominia obtinent: horum aliqui equos, alii boves, aurum, goſſypium aliasque res dant. Æſtimatur ipſum magnos theſauros, tum pannorum & gemmarum, tum auri poſſidere, earumque rerum horrea amplisſima conferta habere. Ipſe ſcribens Regi Portugalliæ, obtulit ei ad bellum adverſus infideles gerendum, dare, millies centum drachmarum aurearum millia, militum quoq; & commeatuum infinitum numerum. Ipſum ut plurimum, quotannis in arcem Amaram, tres aureorum milliones recondere dicitur. Verum quidem eſt, quod ante Regem Alexandrum, non reponebant tantum auri, quod id purificare neſcirent; ſed recondebant gemmas particulasque auri rudit. Reditus ejus ſunt trium generum: unos capit ex ſuo dominio, alios à populo, qui certi aliquid pro foco pendunt, & decimam omnium minæralium, quæ ex aliis quam ſuis fodinis eruuntur, reliquos percipit à Principibus ſibi ſubditis. Hi, unius civitatis, quam ipſe elegerit (modo eam non eligat quam ipſi inhabitant) reditus ei dant. Quamvis autem reditus facultatesque ſatis amplæ ſunt, gens tamen ipſa ignava eſt: tum quod ipſe eam in man-

cipiorum numero habeat, unde ipsis non est illa animorum generositas, quæ homines ad arma promptos, audacesque ad pericula facit: tum quod ipsis videntur sibi manus constrictæ, respectu quo ipsum habent, ac reverentiam quâ ipsum observant timoreque quo sibi ab illo timent; arma defensioni commoda non habent, præter situ obsitam galeam, semigaleam, & loricam, quam Lusitani eo detulere: his addi potest defectus arcium. Cum itaque ipsis nec loca munita sint, in quæ confugiant, nec arma quibus se defendant, sunt ipsi ipsorumque pagi hostibus tanquam prædæ expositi. Ipsorum arma offensioni apta, sunt sagittæ non pennaræ, & aliqua jacula. Observant jejunium 50 dierum, quod ipsos, propter magnam abstinentiam, qua sese per illos sacros dies jejunando macerant, ita extenuat affligitque, ut nec multis subsequentibus diebus, ad se movendum vires eis suppetant. Eam occasionem captantes Mauri aggrediuntur eos, magno suo commodo. Scribit Franciscus Alvarezius, quod Presbyter Iohannes, possit in campos educere centenariorum millia, sed visum fuit, quod ingruente necessitate, multo majores copias educere potuerit. Habet religionem militarem, quæ sub protectione Sancti Antonii est: ei unusquisque nobilitate clarus paterfamilias, ex tribus filiis unum, excepto primo genito, destinare debet: ex his seliguntur 12 equitum millia, qui Regi excubent. Finis hujus religionis est, Imperii fines defendere, resistereque hostibus fidei.

CAPVT XXIV.

DE PRINCIPIBUS FINITIMIS PRESBYTERO JOHANNIS REGE BORNO ET REGE ADEL.

CErto nobis constat, Presbyterum conterminum esse tribus potentissimis Principibus. Primus est Rex Borno; alter Turca; tertius Rex Adel. Rex Borno dominatur ei regioni quæ se extendit à Guangala, Ortum versus, ad plus minus quingenta milliaria, inter deserta Seth & Barca: situ inæqualis est, continet enim partim montes, partim planiciem. Eam inhabitat populus satis civilis, degitque in casis satis frequentibus; propter frugum copiam,

est

eſt ibi quoque aliquis mercatorum concurſus. In montibus vivunt paſtores armentorum & pecorum, qui mylio ut plurimum vivunt, deguntq; vitā beſtialem, absq; religione, habentq; uxores liberosq; communes, nomina propria non alia habent, quàm quæ accidunt perſonis, ut claudi, luſci, longi, balbi dicantur. Rex Borno populo valde potens eſt, cui nihil aliud oneris imponit, quàm decimam fructuum. Pro exercitio locoque artis manuariæ, ſolent latrocinari, trucidare vicinos, aut eos captivos facere, quos commutant equis, quos à mercatoribus Barbariæ conſequuntur. Sub ſe habet multa regna & populos, partim nigros, partim albos. Infeſtat mirabiliter Abiſſinos latrociniis, abigit enim pecora, deprædatur fodinas, abducit in captivitatem homines. Bornenſes equites præliantur eo modo, quo Aſturconibus inſidentes: utuntur lanceis, utrinque ferrea cuſpide armatis, tum etiam jaculis & ſagittis. Invadunt regiones, nunc hac nunc illac improviſo, ſed hi potius aſſaſſini latronesque quàm juſti hoſtes ſunt dicendi. Turca qui Abiſſinum ab Ortu attingit, & Rex Adel, qui eum inter Ortum & Meridiem cingit, vexant valde Presbyterum Iohannem: coarctarunt enim fines ejus Imperii, reduxeruntq; regionem in magnam miſeriam. Turcæ præter quam quod deprædati ſunt unam partem regionis Barnagaſſo quam ingreſſi ſunt anno 1558 (quamvis tunc repulſi fuerint) eripuerunt Presbytero, quidquid in ora maris habuit, præcipue portus & oppida Suaquen & Ercoco, in quibus duobus locis, montes inter Abiſſiniā & mare rubrum exiſtentes aperiunt ſe, faciuntq; iter commeatibus & commercio, inter Abiſſinos & Arabes. Non multis annis elapſis Bernagaſſo coactus fuit, Turcis morem gerere & ab ipſis pacem emere, pendendo tributum, mille unciarum auri quotannis. Non minus Presbyterum infeſtat Rex Adel, conterminus eſt hic regno Fatigar, extenditurq; ejus dominium ad mare rubrum usq;, ubi habet Aſſum, Salir, Meth, Barbora, Pida, & Zeila, Barboræ appellunt multæ naves ab Aden & Cambaia, cum mercibus, quas commutant carne, melle, cera, commeatu, quæ Adenam vehuntur: auro, ebore aliisque rebus, quæ in Cambaiam mittuntur. Major commeatuum quantitas ex Zeila petitur, ibi enim eſt mel & cera in magna copia. Sunt ibi fruges, fructusque diverſi, qui in Aden & Arabiam deferuntur; pecora quoque, ſpeciatim verveces, quorum cauda 25 & amplius pondo eſt, capite colloque prorſus nigri, cetera

albi. Sunt & alii prorsus albi cum cauda brachii longitudine vitisque instar recurvæ habentq; paleraria sicut tauri. Sunt hic vaccæ, quarum cornua, ramis, tanquam sylvestrium cervorum distincta sunt: aliæ rubræ sunt, habentq; in fronte cornu palmæ & semis longitudinis, quod retrorsum obversum est. Metropolis civitas hujus regni est Arar, 38 leucis Zeila distans Meridiem orientalem versus. Hic Rex, qui etiam religioni Mahumetanæ est addictus, quod professus sit, se semper belsum gerere velle cum Christianis Abissiniæ, id est subditis Presbyteri Iohannis, sibi Sancti cognomen inter illos barbaros paravit. Expectat ille donec Abissini, longo duroque illo 50 dierum jejunio debiles facti sint, viresq; eorum adeo consumptæ, ut vix ad res domesticas peragendas eis vires sufficiant, ingreditur tunc eorum regionem, diripit pagos, adducitq; in servitutem populum, infertq; Abissiniæ mille damna. Mancipia Abissiniæ miros sæpe habent extra patriam progressus, habenturque à Principibus in precio, ipsorumq; multi, industria sua in serviendo, facti sunt ex mancipiis domini in Arabia, Cambaia, Bengala, & Samatra. Cum enim Principes Mahumetani Orientis, tyranni sint regnorum, quæ gentilibus eripuerunt, ut ea sibi secura reddant, non fidunt subditis, sed instruunt armis multa mancipia externa, quibus suas personas fidunt, committuntq; ipsis regimen regni. Inter mancipia potiores æstimantur Abissini, tum propter eorum magnam fidelitatem, tum propter bonam indolem. Rex Adel implet Ægyptum & Arabiam multitudine captivorum, quos ex ditionibus Presbyteri Iohannis abducit, permutatque eos cum Turca & Principibus Arabiæ, armis, apparatu bellico & militibus. Anno Christi supra millesimum quingentesimum Claudius Abissiniæ Rex, se viribus Gradamedi Regi Adele imparem agnoscens (ipsum enim per 14 annos perpetuis excursionibus vexarat) relictis regni pomeriis in interiora se recipit, petiitq; auxilium à Regis Lusitaniæ Iohannis III. in India legato Stephano Gama, qui tunc cum parata classe, in mari rubro erat. Is ei dedit quadringentos viros Lusitanos, cum bona armorum quantitate & sclopetis, ductore Christophoro suo fratre: horum auxilio, & sclopetorum beneficio, vicit hostes duobus præliis; sed cum Rex Adel à gubernatore civitatis Zebit, habuisset mille sclopetarios, decem tormenta bellica, tertio prælio fusi & in fugam acti sunt Lusitani, eorumque Capitaneus captus occisusque est. Cum autem

rem Rex Turcas amandasset, Rex Claudius ipsum ex improviso, ad fluvium Zeila, & ad montem Sanan aggressus est cum octo peditum millibus, quingentis equitibus Abissinis, & cum illis Lusitanis, qui ex superiori clade supererant, quorum unus, inflixit lethale vulnus Gradamedi. Sed mense Martio anni 1559 cum Rex Claudius, iterum manus conferret cum Mauris Malacai, ipse in prælio occubuit: Rex autem hostium tantam victoriam à Deo concessam agnoscens, triumphum egit insidens asello. Regi Claudio successit Adamas ejus frater, cui quod semi Mahumetanus esset, rebellavit bona pars nobilitatis Abisiniæ, fususq; fuit à Barnagasso anno 1502. Cum itaq; res Æthiopiæ aliquo tempore fluctuassent, aliquantulum restitutæ videntur regnante Alexandro, Lusitanorum auxilio, qui eo tam arma offensiva quam defensiva tulerunt, excitaruntque suo exemplo in præliis animos ingeniaque Abisinorum. Omnes, qui cladi Christophori Gamæ superfuere, aliique qui postea eo venerunt, veniuntq; adhuc, remanent ibi, contrahunt matrimonia generantq; liberos. Rex Alexander imperavit eis ut judicem eligerent, qui inter ipsos jus diceret: tradiderunt itaque ibi, perguntque tradere usum armorum qui est in Europa, artem bellandi, modum fortificandi transitus locaque maximi momenti. Postea in eas regiones se contulerunt aliqui Florentini, partim ex curiositate, partim mercaturæ gratia: Franciscus enim Mediceus Magnus Dux Hetruriæ, habebat aliquam consuetudinem cum Abisinis. Presbyter solet favore prosequi, & vitæ subsidia largiri Francis (ita vocant Europæ populos) difficulterque concedit eis facultatem eundi regno. Ultra hos, alios diversos hostes quoque habet Presbyter Iohannes: inter eos est Rex Dancali, cujus est oppidum & Portus Vela ad Mare rubrum; conterminus is est Balgadæ. Presbyterum quoque valde exagitant Mauri, qui provinciam Dobas inhabitant, ea in 14 Dynastias divisa est: quamvis hi inter confinia Imperii Presbyteri Iohannis sint, fiunt ipsi tamen persæpe rebelles; prolege habent, quod nemo ipsorum matrimonium contrahere possit, si non probet, se duodecim Christianos occidisse.

CAPVT

CAPVT XXV.
DE
MONOMOTAPA.

IN reliquo Æthiopiæ regnum obtinent diversi magni Principes, quales sunt Reges Adel, Monomugi, Monomotapa, Angola, & Congo, quorum nos exiguam notitiam habemus, sed ut ex unius eorum Statu, de alterius qualitate judicium fieri possit, pauca verba adjungemus de Statu & regimine Monomotapæ, qui aliis major potentiorque est. Hujus Principis imperium omnem illam insulam occupat, quæ fluminibus Cuama & Spiritus Sancti continetur, (id spacium 750 leucarum in ambitu est) cumque Spiritus Sancti flumen transmissum est, longissimo tractu, caput bonæ spei versus extenditur; regionum enim illarum Principes illum quoque in supremum Dominum ac Principem agnoscunt. Oppida, pagique ibi rari sunt, ædificia ex ligno & stramine constant. Civitatum præcipuarum una Zimbas, altera Benamataxa nuncupatur, illa 15 hæc 21 milliaribus Cefala, Occasum versus distat. Regio frumento, pecudibus magnis parvisque abundat, quæ immenso numero, in campis & sylvis pascentes vagantur. Ex dentium elephantorum numero, qui extra regionem vehuntur, eorum ad 4 aut 5 millia ibi quotannis mori æstimatur: elephantes ibi prægrandes sunt. Non alia regio auri feracior hac est; affirmant enim aliqui hic tria fodinarum (unde aurum eruitur) millia esse: aurum quoque in terra, in petris, & in fluminibus reperitur, ditiores fodinæ sunt Mannicæ, Borro, Quiticui, Toroe (quam alii dicunt Butua). Populus staturæ mediocris, niger, beneque compositus est. Principi inservientes, genubus insident, coram ipso sedere, idem quod apud nos stare est, nec nisi magnatibus conceditur. Fides probatioque ciborum potusque, non ante, sed postquam Princeps ederit biberitque fit. Carceres hic nulli sunt, quod jus, eo momento, quo delictum commissum est, ex testimoniis dicatur. Delicta quæ majori severitate puniuntur sunt veneficia, furta & adulteria. Aliud tributum Principi non penditur, quàm aliquot dierum operæ, & donaria, sine quibus nemo coram ipso venire potest. Arma ejus ligo & duo spicula: pro fidissima custodia habet ducentos canes, Principum qui ipsum patronum agnoscunt, liberos & hæredes apud se retinet, ut de parentibus secu-

rus

rus fit. Tempore præterito hic Princeps, opera patris Conſalvi ſylvæ Ieſuitæ ad fidem converſus fuit, ſuſcepitque Baptiſmum, ſimul cum maximo ſuorum aulicorum numero, poſtea à quibusdam Mauris (qui authoritate apud ipſum valebant) perſuaſus, illum trucidari fecit. Id ob facinus Rex Luſitaniæ Sebaſtianus, bellum ei intulit, duxitque ejus exercitum (qui fere ex nobilibus conſtabat, numeroque erant 1600) Franciſcus Barretius, cui Monomotapa Luſitanorum arma pertimeſcens bonas conditiones obtulit, ſed cum Barretius honeſto æquoque ſatis fieri ſibi non pateretur, non ab hoſte, ſed ab aëre Æthiopiæ & morbis, qui exercitum depaſti ſunt, victus fuit.

CAPUT XXVI.
DE
SERIFFO.

INter omnes Africæ Principes, non credo aliquem, opum & virium magnitudine, Seriffo præferri poſſe; ejus enim ditio continet omnem illam Mauritaniæ partem, quam Romani Tingitanam appellarunt, extenditurque à Promontorio Boiador Tanger usque, & ab Oceano Atlantico, ad flumen Mulvia & ultra, quo ſpacio comprehenditur totius Africæ præſtantiſſima portio, quæ & incolis magis frequens, & amœnitate, & fertilitate, & morum civitate reliquas ſuperat, & inter alias ditiones, fama celeberrima ſunt regna Marochi & Foſſæ, quarum illud in ſeptem provincias dividitur, nempe Cuzulam, Saharam (duæ hæ provinciæ comprehendunt partem Numidiæ) Cus, Aſcaram, Duccalam, Tedle, Marochum; hoc autem continet octo, nimirum Temeſnam, Aſgam, Eriffe, Elabal, Caret, Caus, Zanegam, Feſſam. Hæc regna diſtinguuntur in planiciem & montes; comprehendunt enim bonam Atlantis majoris & minoris partem, inhabitantur à magno feroceque populo, diviteque paſcuorum & pecudum: inter Atlantem majorem, & Oceanum planicies eſt; in qua civitas regia Marochum in campis Atlante 14 milliaribus diſtantibus jacet, qui pluribus fontibus, rivulis fluminibus illuc influentibus irrigantur. Olim cum hæc civitas centum focorum millia inſtrueret, erat caput Africæ, ſed paulatim decrevit, eſtque deſertior quàm habitatior. Sunt in regno Maro-

chi præter alias, Tedsi, quinque millium familiarum: Tagaost, octo millium: Tarodante (quamvis multis aliis minor sit, non cedit eis nobilitate & commercio) sita est, inter Atlantem & Oceanum, in valle 16 leucat parumque minus lata, sacchari & omnis annonæ generis fertili, multum ei splendoris & nobilitatis attulit. diuturna mora quam in ea traxit, & æstimatio, in qua apud Mahumetem Seriffum fuit. Relicto Atlante intratur in planicies fertilissimas colliculis in quibus quam dives sit copia frugum, nempe sacchari, olivarum, pecudum, vinearum, omniumque bonorum, dici non possit. Regnum Fessæ quoque (sicut diximus) continet diversas provincias, optime inhabitatas. Inter eas Asga, habet 80 milliaria in longitudine, 60 in latitudine: Elabat, centum in longitudine, sexaginta in latitudine. Verum quidem est, quod Eriffe provincia prorsus montosa sit, numeranturque in ea 23 Atlantis rami, qui à populis ut plurimum indomitis incoluntur. Caret est aspera & sicca adeoque Libyæ, quam Barbaræ similior. Sed quod amplitudo hujus regni, & valor, magna ex parte consistat in civitate Fessana, extra institutum nō erit, de ea pauca verba facere. In partes duas divisa est hæc civitas, quæ à se invicem parum distant, earum una Fessa vetus, altera Fessa nova appellatur: vetus Fessa quoque fluviolo in duo corpora finditur: Orientale dicitur Beleida, habet autem quatuor familiarum millia. Occidentale dicitur proprie Fessa vetus, facit 80 & amplius familiarum millia, non longe distat à Fessa nova, quæ 8 domuum millia habet. Fessa vetus est fere tota in collibus & in vallibus: continet 50 templa Mahumetana insignis magnitudinis, omnia fontes habent & columnas ex alabastrite & jaspide, ultra ea numerantur sexcenta minora. Inter quæ templa istud, cui vulgo nomen est Carucen, admirabile est, situm in medi tullio civitatis: ejus ambitus est dimidii milliaris, divisum est in 70 fornices in latitudine, 120 in longitudine, quos 2500 columnæ ex albo marmore sustinent. In præcipuo majoreque fornice (ubi tribunal est) visitur lampas immensa, quam circumcingunt centum minores. Alii fornices habent lampades valde magnas, in quarum qualibet 1500 lumina prælucent. Fessæ fama est, omnes illas lampades factas esse, ex campanis, quas Arabes in Hispania ceperunt, qui non solum in prædam abstulerunt campanas, sed & columnas, æs, & marmora, tum quidquid precioši & mundi in eam detulerant Romadi primum,

mum, & deinde Gothi Fessæ numerantur plus quam ducentæ Grammatices scholæ, ducenta diversa publica, 400 molæ aquaticæ in flumine, quarum singulæ quatuor aut quinque rotis agitantur. Sunt in ea quoque diversa collegia, inter quæ id quod Madaracciæ nomen habet pro pulcherrima fabrica totius Barbariæ habetur. Sunt ibi sexcenti fontes, muris cincti, ex quibus aqua in omnes fere domus dispergitur. Longum esset describere Alcaceriam (quam appellant.) Locus is est muris cinctus, cujus portæ sunt duodecim, divituruque in 15 vicos. ubi mercatores sua negocia, sub tentoriis peragunt. Vix dici potest quantæ sint hortorum deliciæ, & quanta viridariorum amœnitas: viridaria à fontium & fluminum aquam refrigerantur. Rex habitat complurimum Fessæ, in qua arcem, palatia & hortos habet, & quibus venusti commodiq; optari queat: ex hac nova Fessa, per viam subterraneam, itur ad Fessam veterem. Vt breviter dicam, hæc civitas adeo & magna atque magnifica est, ut ei Reges defuncti, rarum privilegium concesserint, nimirum, ut cives non teneantur obsidionem ferre, nisi Rex tam potens sit, ut justo exercitu se hosti valeat opponere, & si ad semi milliare urbe appropinquasset, ut ei se dedere possint absque dedecore proditionis, aut perfidiæ nota: quod hanc ob causam fecit, ne urbs prætextu vanæ fidelitatis exitium subiret. Civitas quoque magni momenti esse perhibetur, sita in planicie, non minus frumento, oleo, lino, pecore fertili, quam jucunda, propter amœnitatem locorum aquarumq; copiam: habet octo familiarum millia, muri validi sunt, & multis turribus muniti. Incolæ industrii, mercimoniis dediti, præcipuè pannorum è lana, seryco, gossypio, qui ibi texuntur. Primogenitus Regis Fessæ, se Principem Mequineze inscribere solitus erat. Hæc regna ultra fertilitatem naturalem, sic satis dedita sunt mercaturæ. Etsi autem Rex Fessæ ad mare Mediterraneum portus oportunos non habet, attamen Franci & Angli, ad portus ad Oceanum commeant, præcipue Laracen, Caput Aguero, ceterosque, quorum pars est regnum Fessæ, pars Marochi. Ferunt eo, arma. & alias Europæ merces, pro quibus ipsi, inter alias saccharum recipiunt. Cum vero regna Marochi & Fessæ, aliæq; provinciæ principatusque, qui inter se divisi fuere, parvo ab hinc tempore, sub uno Principe coaluerint, qui Seriffus dicitur, non erit abs referre, quomodo hoc acciderit; nihil enim aliud magis relatu dignum, vel potius admi-

randum nostrò seculo accidisse puto. Circa annum Christi 1508 in regione Numidiæ inclaruit Alfaique quidam, natus Tigumedeti (qui locus in provincia Dara est) vir ingenio callido; nec minus ambitiosus, quàm doctus in scientiis, quibus operam dant Mahumetani. Ei nomen fuit Mahumetes Benamettus, qui se etiam Seriffum nominari jubebat. Hic jactans se sanguine Mahumetis ortum, & confisus tumultibus Africæ, ac ejus Statuum, Rerumpublicarumque distractionibus (in Africa enim multum poterant Lusitani) cœpit cogitare de invadendo Mauritaniæ Tingitamæ Imperio. Quod ut efficere posset, misit primum tres suos filios Abdelem, Ahmetem, Mahumetem peregrinatum Mecam & Medinam, ut inviserent atque colerent Mahumetis sui seductoris sepulchrum. Fecerunt adolescentes hanc peregrinationem, tanta & reverentia & existimatione sanctitatis & religionis (si convenit uti his nominibus in tali impietate & ineptia) ut in ipsorum reditu, ipsis obviam irent incolæ, ipsorum vestes deoscularentur, & reverentur tanquam sanctos. Ipsi vero fingentes se raptos in alta contemplatione, ibant per illas regiones suspirantes, clamabantque voce alta, quam suspiria & gemitus interrumpebant: Ala, Ala; nec aliunde, quam ex eleemosyna vivebant. Cum pater eos magno cum gaudio voluptateq; domum recepisset, nec applausum & æstimationem, quam sibi illa peregrinatione conciliarant evanescere, nec irritam fieri vellet, misit duos ipsorum nempe Ahmetem & Mahumetem, Fessam, ubi cum eos Rex humaniter & benignè excepisset, unus eorum factus est Professor Amodoracciæ, fama celeberrimi collegii illius urbis, junior autem factus est pædagogus filiorum Regis. Cumq; se Regi gratos viderent, & populi in se benevolentiam perspicerent, ex patris consilio (occasionem capientes ex damnis, quæ Arabes & Mauri sub insignibus Lusitanorum militantes, faciebant, illis qui erant suæ heresis) petierunt à Rege facultatem explicandi vexillum adversus Christianos, spem ei facientes, se facile ad se pertracturos Mauros, qui Lusitanis adhærebant, eaque via, securas reddi posse propincias Sus, Heam, Ducalam Marochum aliasq; à Lusitanis vexatas. Huic petitioni contradixit Muleius Nazer, Regis frater; si enim hi, dicebat, sub sanctimoniæ & defensionis legis prætextu, facient aliquem progressum in armis, non erit postea in tua potestate eos deprimere, frenoque continere; arma enim homines audaces, victoriæ insolentes

lentes, favor populi ambitioſos rerumque novarum cupidos facit. Rex autem, apud quem in magna opinione ſanctimoniæ erant, parvi faciens conſilium ſive rationes, quas frater allegaverat, illis vexillum & tympanum dedit & quod amplius eſt, 20. equites qui eos comitarentur, diploma quoq; ad Arabes, Principes, & Barbariæ civitates. His initiis multisq; ad eorum famam concurrentibus, excurrunt in Ducalam, Comiratum Safini, ad Agueri Promontorium uſque: quæ loca tunc Luſitanis parebant. His quas diximus rebus, ſe gratioſos, fortes ac munitos ſentientes, petiverunt à populis, qui tunc ut plurimum in libertate degebant, iisque, quibus placebat, favebant, ut ipſis, qui pro lege Mahumetana adverſus Chriſtianos pugnabant, auxiliarentur, elargitarenturque decimas Deo debitas, quas (decimas) à populis provinciæ Daræ facile impetrarunt. Sibi itaque paulatim dominium Tarudante (ubi eorum pater Gubernator factus fuit) Sus, Hiæ, Ducalæ, locorumque vicinorum occuparunt. Sedem primum fixerant in Teduefte, poſtea in Teſarote. Superarunt deinde prælio Lopezium Barrigam, fama celebrem, rei militaris Luſitanorum Ducem, ſed amiſerunt fratrem natu majorem. Poſtmodum cum blandis verbis, ingreſſi eſſent civitatem Marochum, veneno ejus Regem ſuſtulerunt, quo necato, ejus loco ſe Regem Marochi proclamari fecit Ahmetes Seriffus. Cum hæc fierent, prælio decertabant Arabes Ducalæ & Xarquiæ, cum arabibus Garbiæ, pollicebaturque ſibi utraq; pars favorem Serifforum, qui contentionem creſcere videntes & illorum multos cadere, arma ſua in ambos verterunt, ſpoliaq; ampla retulerunt. Miſerant hactenus Seriffi, quintam rerum potentiarum partem Regi Feſſæ, ſed poſt hanc victoriam ipſum contemnentes miſerunt tantum ſex equos & ſex camelos valde macilentos, quod ille moleſte ferens, miſit ab illis petitum, quintam ſpoliorum partem, & tributum, quod ei Rex Marochi pendere ſolitus erat, ſi non facerent, ſe eos bello perſequuturum minitans. Cum interea Rex in fata conceſſiſſet, Ahmetes ejus filius, qui minoris Seriffi diſcipulus fuerat, non ſolum acquievit, ſed & confirmavit Ahmetem in dominium Marochi, modo aliqua re, Reges Feſſæ in dominos agnoſceret. Sed Seriffi, (quorum potentia & exiſtimatio quotidie creſcebat) cum tempus pendendi tributum veniſſet, juſſerunt nunciari Regi, ſe legitimos ſucceſſores Mahumetis eſſe, ideoque ſe nemini tributum

debere: se plus juris, quàm illum in Africam habere, si ipse illos pro amicis vellet, bono ei hoc fore; si autem ipsos, à bello adversus Christianos averteret, non sibi animum, ad se tuendum defore. Hoc ægre ferens Rex indixit eis bellum, obseditque Marochum, sed coactus fuit ab obsidione discedere: deinde autem rediens cum 18 equitum millibus (inter quos erant duo sclopetariorum millia) ut obsidionem instauraret, in itinere, cum flumen transmitteret, victus fuit à Seriffis, quibus septem tantum equitum millia, & ducenti supra mille sclopetarii erant. Elati ea victoria exegerunt tributa illius regionis, superantesq; Atlantem, ceperunt Tasiletem civitatem præclaram, & partim benevolentia, partim vi, sibi obedire coegerunt diversos Numidiæ & montium populos. Anno 1536 minor Seriffus, qui se Regem Sus dicebat, collecto potenti exercitu, & magno tormentorum bellicorum numero, quorum partem Regi Fessæ eripuerat, partem Franci Apostatæ fuderant, expeditionem Promontorii Aguero suscepit. Is locus erat magni momenti, possidebatur à Lusitanis, qui eum exstruxerant, munitusque fuit, primum expensis Lopezii sequieræ, deinde Regis Emanuelis, postquam ejus opportunitatem cognovisset. Pugnatum fuit utrinque ferociter, sed cum tandem ignis munitionem pulveris pyrii corripuisset, idque milites, qui illum locum defendebant perterre fecisset, ingressus est locum Seriffus, cepit eum, fecitque captivos maximam præsidiariorum partem. Qua victoria potiti Seriffi, subjecerunt sibi fere totum Atlantem, regnum Marochinum, Arabes, qui coronæ Lusitaniæ parebant. Rex Iohannes Lusitaniæ tertius, videns expensas acceptum excedere, relinquit sua sponte Safin, Azamorum, Arzilla, Alcazarum, loca quæ in ora Mauritania possidebat. Hi felices progressus, maximas dissensiones, & discordia inter fratres procrearunt, quarum exitus fuit, ut cum minor duobus præliis majorem vicisset (secundum prælium factum fuit anno 1544) cepisset que, eum in Tasilettem relegarit. Vertit deinde arma in Regem Fessæ, cumque eum captivum factum libertati restituisset, iterum (quod promissis non stetisset) captum, cum filio, eos tota ditione & vita privavit, cepitque opera filiorum civitatem Tremisenam. Collegit interim validum exercitum Sal Aries, Prorex Algieræ, timent tantum successum Seriffi, recepitque primum Tremisenam, profligatoq; Seriffo cepit Fessam, deditque ejus dominium Buassoni Dynastæ Velez, sed

cum

cum hic manus cum Seriffo conſeruiſſet, vitam & regnum amiſit. Tandem dum Mahumetes Tarudantem proficiſceretur, in itinere trucidatus eſt in ſuo tentorio à Turcis quos Algieræ Prorex ſubornarat: eorum duxerat Aſſen, qui cum ſociis Tarudantem profectus, diripuit Regis theſauros, ſed domum reverti volens, à populis necidatus cum ſociis, exceptis eorum quinque, accidit hoc anno 1557 Rex deinde proclamatus, ſalutatusque Muleius Abdala, Seriffi filius. Hæc dixiſſe ſufficiat, de origine Seriffi, cujus progreſſus ſimiles videntur illis, quos habuit Iſmael Rex Perſiæ. Ambo parvo tempore ſubegere regiones, ambo creverunt ruina Principum vicinorum, ambo magna incommoda paſſi ſunt à Turcis, perdideruntque ſuarum ditionum partem; Selimus enim eripuit Iſmaeli Caramit diverſasq; alias Meſopotamiæ civitates, Vicerex Algieræ pepulit Seriffum Tremiſſena & ejus vicinia, & ſicut Selimus occupavit Tauriſium caput Perſiæ, idque dereliquit, ita & Sal Aries cepit Feſſam caput Mauritaniæ & dereliquit eam. Seriffus habet dominium in omnes facultates vaſallorum, etiam in ipſos vaſallos; quamvis enim eos oneret impoſitionibus tributisq; graviſſimis, contra tamẽ mutire non audent. Percipit, à ſuis vaſallis tributariis decimam, & primitias fructuum pecudumque. Verum quidem eſt, quod ad primitias ſpectat, non plus uno ex viginti percipit, quod autem 20 excedit, quantumvis ad centum & eo plus primitiæ aſcenderent, nunquam ultra duo capit. Ex ſingulis terræ jugeribus accipit ducatum, & quintam ejus partem, tantumque ab uno quoq; foco: adhuc totidem ab unaquaque perſona, quæ 15 annum exceſſerit, maſculo aut fœmina; ſi opus eſt, majorem ſummam capit. Ut autem populi libentius quod exigitur ſolvant, ſemper dimidium plus quam perſolvendum eſt, imperat, itaq; ipſis videtur, ſibi remitti ea pars, quam non cogit diſſolvi. Sunt tamen quidam qui montes inhabitant, populi indomiti & immanes, qui propter difficilem ad eos acceſſum, cogi non poſſunt, ut tributa pendant: decimã tantum meſſium perſolvuntquo in planicie verſari poſſint. Vltra hos reditus habet Rex telonia & vectigalia civitatũ, in quarum introitu pendunt res vectigal, nempe civis Feſſanus duo ex centenario, extraneus decem. Sunt quoque reditus molarum, quæ magnam pecuniarum ſummam conficiunt. Quod enim ad reditus molarum attinet, pro aſini onere frumenti (quod Feſſæ molitur) percipit ſemi regalem. Sunt Feſſæ

ut

ut diximus, plus quàm 400 molæ. Templum, Carruven appellatum, habebat plus quàm 80 aureorum millia annui reditus. Multa quoque millia habebant Collegia & Xenodochia Fessæ, ea omnia nunc percipit Rex. Quin etiam hæres est Rex omnium judicum quos Alcaides appellant, & omnium suorum officiariorum, cumq; moriuntur, capit possessionem equorum, armorum, vestium, omniumque bonorum. Attamen si mortuus, post se filios bello aptos reliquit, eis paternam pensionem indulget; si verò alii sunt impuberes, eos alit, donec ad maturam ætatem pervenerint, filias autem alit, donec maritis copulentur. Vt manus injicere possit bonis divitum, dat eis aliquam gubernationem, aut munus cum pensione. Ne verò ejus fisco bona cadant, occultant ipsi suas opes, nituntur que ut longe ab aula Regisque aspectu absint, ob quam causam civitati Fessanæ multum de antiquo splendore decessit. Seriffus arces aut munitiones valde munitas non habet, solum in maris ora Caput Aguero, Labace & Tetuanum possidet; præcipuas enim vires (sicut Turca & Persæ faciunt) in militibus, præcipue in equitatu, statuit. Eam ob causam se tormentis bellicis nō solicite instruit, habet tamen eorum magnum numerum Fessæ, Marochi, & Tarudante, in portubus supra dictis quoq; tormenta quæ sui antecessores, Lusitanis & aliis eripuerunt: alia quoq; cum opus est fundi curat, nec desunt ei ejus artificii magistri ex Europa. In Marocho ei est armamentarium, quo loco quolibet mense, ut minus 46 quintales, ut appellant pulveris pyrii fiunt. conficiuntur etiam tormenta manuaria & balistæ. Anno Christi 1569 invasit ignis tanto impetu domos, in quibus pulvis pyrius conficiebatur, ut civitatis magna pars diruta fuerit. Quod ad militiam Seriffi spectat, ejus plura sunt genera. Primum est 2700 equitum, & bis mille pyroboliariorum, quorum partem Fessæ, sed majorem Marochi, ubi ipse habitat, pro præsidio habet. Secundum est unius aciei Regalis, sex millium equitum, qui omnes nobilitate clari, & magnæ æstimationis sunt: utuntur hi equis generosis, phaleris egregrie ornatis, suntq; ipsorum arma, tum propter colorum varietatem venustissima, tum propter ornamentorum divitias præter modum spectabilia: splendent omnia auro argento, margaritis, gemmis, cæterisque rebus, quæ aut oculos delectare, aut curiositatem spectantium pascere valent. His militibus, præter pensionem frumenti, avenæ, butyri, carnis, pro se uxoribus, filiis & fa-

& famulis, numerantur in pecunia, à 70 ad centum unciæ argenti. Tertium militum genus est Timariottorum (ut vulgo nominant); Seriffus enim suis filiis, fratribus, cæterisque personis, alicujus æstimationis & authoritatis, apud populos Africæ, aut Principes Arabum, possessionem agrorum clientumq;, pro sustentaculo ipsorum concedit. Illi, qui vulgo Alcaidi nuncupantur, curant coli agros, colliguntq; reditus frumenti, oryzæ, avenæ, olei, butyri, vervecum, gallinarum, pecuniarum, distribuuntque ea menstruè inter milites, pro cujusq; gradu militiæ: dant eis quoq; pannum, telam, serycum ad vestitum, arma quoque, & equos quibus bello utantur. Si equi occidantur aut moriantur, dant eis alios: quæ res Romæ in usu fuit, cum iis, qui equis publicis militabant. Horum militum Præfecti sollicite curant, ut sui milites sint in optimo procinctu, armis vestibusq; rectè probeque instructi: præter hæc recipiunt hi milites à 24 ad 30 uncias argenti annuè. Quartum genus militum conficiunt Arabes, qui continuo vivunt in suis Avaris (ita vocant sua castra, quorum quælibet à centum, ad 120 tentoria) compartiti sunt sub diversis Præfectis, quos Alcaidi nuncupant, ut cum opus est parati sint; hi equis merent, sed latronibus, quam militibus similiores sunt. Quintum militiæ genus militaribus delectibus Principum Christianorum simile est, iis adscripti sunt habitatores, civitatum, pagorum regni, & montium. Verum quidem est, Reges illos magni non facere, nec libenter eos armare, propter seditionum motuumve metum, nisi bella adversus Christianos gerantur, quia tunc prohibere non possunt; cum enim lege Mahumetica cautum sit, Mauros à Christianis occisos, & eos qui Christianos occiderunt, recta cœlum petere confluunt certatim viri fœminæque, spe quærendæ salutis excitati, curruntq; in bella, ut ibi moriantur, cœlumque sibi parent, secundum stultam eorum opinionem. O inventum diabolicum! Non minor quoq; fervor est nostro dedecore in Turcis, maxime propter defensionem suæ hæresis: videntur illi sibi ad festa nuptiarum, non ad bella proficisci, vixque possunt expectare diem procinctus. Sanctos habent eos, qui arma manu tenentes in bello cadunt; infelices vero, nihilique homines existimant, qui domi inter planctus puerorum, & ululatus mulierum, diem obeunt. Quibus è rebus satis aperte colligitur, quantum Seriffus hominum numerum ad bella educere possit. Sed exemplo id clarius ostendi

 potest.

poteſt. Mulejus Abdala obſedit Mazaganum cum ducentis virorum millibus, explevit foſſam monte è terra congeſto murumque tormentis bellicis ſolo adæquavit. Sed Luſitanorum virtus eum ab conatu deſiſtere coegit, accepto magno damno ex cuniculis. Verum tamen conſtat eum Principem bellum ultra trimeſtre continuare non poſſe; nam cum miles dietim ex ejus commeatu vitam degat, ex ejus commeatu non ſolum cibum, ſed & veſtitum præbet; commeatus autem difficulter, quo exigit exercitus neceſſitas vehi poſſit, fit ut præpenuria commeatus brevi domum revertantur. Certum quoque eſt, eum diu belligerari non poſſe, cui deſit belli nervus, pecunia. Moluccus Rex Feſſæ, qui fregit Sebaſtianum Luſitaniæ Regem, habuit ſub ſignis 40 equitum & 8 deditum ſtipendiariorum millia, præter Arabes, aliosque gregarios milites, eximaturque ipſum 70 equitum millia, multum quoque plus peditum conſcribere potuiſſe.

CAPVT XXVII.

DE REGNO HISPANIÆ.

AB Orbe condito, nulli Imperatorum, Regum vel Principum majus Imperium obtigit eo, quo Philippus Indiarum & Hiſpaniarum Rex potitur, maximæ cum Luſitaniæ regnum ipſi poſtremo ſit objectum; amplisſimas enim Europæ provincias, nobiliſimasq; Aſiæ Africæque regiones complectitur: novum denique Orbem, qui Europa Africaq; latius patet absque rivali pacifice poſſidet. In Europa Hiſpaniam certe tenet, quæ octingentis ab hinc annis, nulli tota quam ipſius imperio paruit, Belgium, quod mille milliaribus ambitur, regnum Neapolitanum, quod mille & quadringenta milliaria circumeunt, Inſubriam (quæ Mediolanenſis Ducatus titulo deſignatur) cujus ambitus eſt trecentorum milliarium, Majoricam, Minoricam & Eviſam inſulas, quarum prima 300 altera 150 tertia octo milliaribus in Orbem porrigitur, Siciliam, cujus circuitus eſt 700 milliarium, & Sardiniam quæ 562 miliaribus patere dicitur. In Africa potitur magno illo portu, quem incolæ Maſal-

Masalquivir appellant, quo portu nullus insignior, capacior, securiorq; in mari Mediterraneo est. Habet etiam Oranum, Melillam & Rupem Pegnonem, Velez dictam: habet & extra fretum Herculeum Insulas Canarias duodecim numero, inter quas præcipuæ sunt septem, quarum nulla minus quàm nonaginta milliaribus ambitur. Lusitaniæ regni jure præclara loca Septam & Tangerum, quæ claves freti, immo maris Mediterranei, & Oceani Atlantici sunt; extra fretum autem Magazanum civitatem habet. Idem Lusitaniæ regnum in immenso illo Oceano, Insulas habet, quæ vulgo Terzere dicuntur, quæ numero sunt septem, ex iis Angra nomine 40 milliaribus ambitur, S. Michaelis plusquam 90 milliaria continet: habet & Portum Sanctum, nec procul inde Maderam (vino præstantissimam) quæ regina insularum Oceani Atlantici est, & 160 milliaribus cingitur. Insularum quoque Capitis Viridis (Capo Verde nominant) imperio claret, septemque sunt. Habet sub Æquinoctiali linea insularum Sancti Thomæ, quæ Madera aliquanto major, saccari abunde dives est. Quin & Rex Philippus iste, totius oræ illius Africanæ, quæ à Capite Aguero ad illud, quod Guardafu dicitur, extenditur, denique commerciorum, negociationis & navigationis illius Oceani, totq; Insularum quas natura ibidem disseminavit, vel inprimis è regione Caprariæ inter Promotoria Bonæ spei & Guardafuense dominus, herusque, ut & est, agnoscitur. Idem & in Asia, Lusitanici regni jure, potiores oræ Occidentalis partes, nempe Armuzium, Dium, Goam & Malacam possidet. Armuzium commoditate sui situs adeo dives est, ut Arabibus in proverbium abierit:

„*Si terrarum Orbis quaqua patet, annulus esset,*
„*Illius Armusium gemma decusq; foret.*

Magna Arabiæ felicis pars ad Armuzii regnum spectat; sicut & Baharem insula, regina ejus sinus insularum, tum propter magnitudinem, cui terræ fertilitas & fructuum varietas conjunctæ sunt, tum propter ditissimam margaritarum piscationem. Dium, Cambaiæ suiq; maris est clavis, quæ inenarrabilibus divitiis abundat: in quo mari Lusitani quaq; possident Damainum, Bazainum, Tavaam, Goam, quæ (ut interim Ciaulem, Cananorem, Cochimum & Colanum præteream) tanti momenti est civitas, ut Regi Lusitaniæ tantum, quantum ulla Europæ regna, pendat. Denique Lusitani obti-

nent omnem fere oram maritimam, quæ à Damaino civitate ad Melepuram usq; protenditur: quæ integra maris ora ipsius est, aut ejus sociorum, excepto Calecutio; Zeilana sane insula est Orbis universi præcipuæ deliciæ, in ea habent etiam portum & arcem vulgo Columbo nuncupatam. Potiuntur & Malaca, quæ iis ipsis locis Imperii sui terminus est, clavisq; negociationis & commercii Oceani Eoi, illarumque insularum, quæ tot ac tantæ sunt, ut toti Europæ magnitudine pares putentur. Domos quinetiam potius quam arces in Amacano, ad commercium cum Chinis exercendum, & in Tidore insula, negociationi cum Molucis & Banda exercendæ habent. Res profecto stupenda est à 12 tantum Lusitanorum millibus (nec enim plures in tanto terræ marisq; tractu sunt) tot potentissimos Asiæ Reges & populos, tanquam freno coerceri, illosque tam paucos Lusitanos maris Atlantici, Indici, & Eoi imperium asserere, sibi servare, ac tueri. Ab hinc annis 90 sese illi eis locis muniverunt, non solum magna cum sua gloria, verum etiam totius Orbis Christiani laude utilitate ac fructu. Neque vero abjici potest, illis hoc facile fuisse, quod fortasse res ipsis esset cum populis belli minus peritis; eripuerunt enim armorum virtute regnum Armuzianum Regis Persiæ clienti, vicerunt etiam, quassaruntque ad Dium Magni Sultani Ægyptii classem, plenam Mamaluchis qui non minus arte militari, quàm Prætoriani Turcæ milites (qui Ianizari nuncupantur) clarebant. Dium illud, adversus Turcæ & Guzaratarum vires fortiter defenderunt: sæpe Turcarum classes mari rubro in fugam verterunt, ad Armuzium classem Turcarum Anno Christi 1552 subegerunt, cum Principibus Decan, Regibus Cambaiæ, Calecutii & Achen (qui armis & militibus Turcicis probe instructi erant) in Taprobana pugnarunt. Itaque Lusitanorum expeditiones in Cambaia, India, & in universo illo Oceano & ora Asiæ, non minus admirandæ sunt quam Macedonum, Alexandrique Magni victoriæ. Eo quidem magis, quod Lusitania, terræ amplitudine, Macedonia multo minor, numerusque Lusitanorum Macedonib⁹ par non fuit. Prostraverunt enim 19 navibus classem Sultani Ægyptii, longe numero majorem, duobus virorum millibus expugnarunt Goam, eam amissam 1500 militibus recuperarunt. Octingentis Malacam sibi subjugarunt, pauloque pluribus Armuzium. Altera ditionum Philippi Regis Catholici pars, in Novo Orbe continetur, in quo quantum ipse velit con-

consequitur, eo præcipue quod sine socio vel rivali illic regnet. Dividitur autem novus Orbis in Continentem & Insulas. Maris septentrionalis tot sunt Insulæ, ut earum numerus (solæ Lucaiæ excedunt quadringentas) nondum cognitus sit: earumq; nonnullæ tam amplæ opulentæq; sunt, ut vel eorum quæque grandi regno constituendo sufficiat. Boriquena longa est 300 milliaribus, lata 60, Iamaica paulo minor est. Cuba longa est trecentis, lata 20 leucis. Hispaniola in ambitu 1600 milliarium est. Quod ad Continentem spectat, Rex reapse toti maris oræ, quæ Floridam, Novam Hispaniam, Iucatan lambit, deinde toti illi immensæ Peninsulæ Meridionali ad caput Californiæ, immo ad Quiviram usq; imperat; eo enim atq; ulterius Castellani novas terra marique regiones detexerunt. Hispaniæ novæ ora, quæ initium capit à Sanctæ Helenæ oppido, Panamam transiens ad Quiviram protenditur, circiter quinquies mille ducentisq; milliaribus longa est: quibus si conjungantur mediterranea confinia, Septentriones versus, non minus quam novies mille milliaria efficient. Peruvia quæ ad Panamam incipit, habet oræ maritimæ duodecies mille sexcenta milliaria, quorum tria, quæ inter Maragnonem fluvium & Argenteum continentur, Brasiliam complectentia, Regem Lusitanorum agnoscunt. Novi Orbis continens multa regna ditionesque per quam amplas complectitur, in quibus duo præcipua regna quasi Imperia sunt, nempe Mexicanum & Peruvianum, quorum Reges potentissimi olim opulentissimique fuerunt. Rex Mexicanus non sanguinis aviti jure, sed à 6 viris eligebatur, nimirum qui juvenis, elegans strenuus, corpore bene composito, militiæq; aptus esset, ideoq; Regem quendam suum, quod ignavus, imbellus timidusq; esset, veneno necarunt. Senatus supremus apud Regem erat, qui ex quatuor nobilitatis & officialium gradibus constabat, absque cujus authoritate & consensu nihil quod esset alicujus momenti statui decernique poterat. Nihil æque atque rectam puerorum institutionem curabant, & præcipuo apud ipsos in pretio erat religio, studiumq; rei militaris. Inter ipsos fuit egregius heros Tlacaellel, tantus armorum virtute, ut magnam regni Mexicani partem sibi pararit, animi adeo excelsi, ut oblatum sibi regnum constanter recusarit, dicens ex usu reipubl. esse, ut alius Rex, ipse vero minister ejus esset, humeros regni impares esse, addens se pro reipubl. non minus sedulo laboraturum quàm si Rex

esset. Rex cum majestate vivebat, magnificeq; habitabat, maximoque clientum satellicio stipatus incedebat. Regni pomœria, religionem, linguamq; ab uno latere ad Teguant pecum, quod Mexico 200 leucis distat, extendit: ab alio latere ad Guatimalam, quæ 300 leucis abest; quin etiam regni fines ad mare septentrionale & meridionale protulit, Mecioacan, Tlascalam & Terpeacam debellare non potuit. Inimicitiæ quæ Mexicanis cum Tlascalano oppido erant, Hispanis januam in Mexicanum regnum aperuerunt, reddideruntq; adipiscendo imperio Maxicano faciliorem, quod anno Christi 1518 contigit. Mexicani in septem tribus divisi, ex regione Septentrionali, in hæc regna venere, in qua Septentrionali plaga superioribus annis, Hispani ditissimam provinciam populosissimamq; detexere, quam Novum Mexicum nuncuparunt. Præcipuus honos in armis, quibus homines nobilitabantur, situs erat. Motezuma ultimus Mexicanus Rex, aliquot ordines equitum instituit, quorum alii Principes, leones, quidam aquilæ, nonnulli pardi dicebantur. Iis aurum, argentumque gestare, & xylo vel gossipio (quod Barbari & Arabes cotum & bombacum appellant) vestiri calceatis incedere, inaurata pictaque vascula habere (quibus omnibus plebi ignobilibusque interdicebatur) licebat. Imperii Peruviæ cujus Rex Inga dicebatur, condicio statusque aliquando multo major fuit: dum summe floreret, se à Pasto Chileusque porrigebat, amplitudine mille leucarum, latitudine vero centum leucarum, erat nempe ab Oceano meridionali ad partem Orientalem Andi usque. Immensa aquarum copia partim viva & decurrens, partim mortua & quiescens obstitit, quo minus ulterius progrederentur. Prætextus bellum alii inferendi fuit, quod in diluvio in ipsis Ignis servatus mundus esset, & quod ipsi soli haberent veram religionem eamque alios ipsi docere tenerentur. Præcipuus illorum Deus erat Viracoca, hoc est, universi creator; alter verò Deus illis Sol erat. Inga Pacacuti, qui majorem superstitionum (quibus addicti erant) partem repetit: quum aliorum deorum templis prædia reditusque attribuisset, nullos Viracocæ assignavit, quod quum ille, inquiebat, creator omnium esset, eis non indigeret. Inter alias res memorabiles per ipsum institutas pro regionibus acquisitis una erat, quod terras in tres partes dividebat. Prima religioni & diis dedicabatur. Altera Ingæ decidebatur, qua se ipsum

curiam,

curiam, parentes, barones & præsidia sustentabat, eratque ea pars cæteris major. Tertia pars populo cedebat. Nemo rem propriam habebat, sed Ingæ beneficio, nec ea res ad heredes transibat. Agri, qui populi & communitatis erant, quotannis partiebantur, assignabaturq; unicuique tantum terræ, quantum ad sui & familiæ sustentationem opus esset, eratque ea portio aliquando major, interdum minor; deque ea tributum non pendebant: ejus autem loco colebant terras Deorum & Ingæ, recondebant fructus in ampliſſima horrea, ad id destinata, unde quum sterilitas ingrueret sumebantur pro populo: idem fiebat de animalibus quæ per capita dividebantur. Hac in re videntur mihi longe superasse divisiones terræ, quas Lycurgus fecit, ac leges Agrarias Romanorum. Ex Nova Hispania & Peruvia (præter merces) opes in exhaustæ auri & argenti trahuntur: earum opum ordinarie duas partes Peruvia, tertiam Nova Hispania suppeditat, quæ mercimoniis ditior est Mexico. Inter alia dat Cocinigliam maximi sane pretii mercem: dat & Anir, & coria vaccarum infinita. Ejus autem insulæ, uberrimam copiam coriorum, xyli, sacchari, cannæ fistulæ, sandarachæ, & margaritarum mittunt. Inter thesauros Peruviæ duo sane admirandi sunt: unus est fodinarum argenti quæ Potosii Anno 1545 detectæ fuerunt, unde effosa fuit, effoditurq; tanta argenti vis, ut quinta pars, quæ Regi cedit, 40 annorum spatio ad centum & undecim Pesorum millione nes accesserit; unus autem Peso tredecim nummos regales (Reales vocant) ejusque quartam partem valore exæquat: nec tamen duæ tertiæ partes penderunt quintum Regi debitum. Ea argenti copia expurgatur in 52 machinis (quæ instrumenta vocant) in flumine vicino exstructis: in 22 quæ in valle Tarapaia sunt: præter ea organa ad huc alia sunt quæ ab equis versantur, inque gyrum aguntur. Aliæ opes consistunt in fodinis Guancavalcanis, quæ argento vivo abundant: detectæ fuere anno 67 unde Rex pure citraque expensas circiter quadringenta Pesorum millia percipis. Natura quæ Peruviæ tam liberaliter fodinas auri argentique largita est, nihil ejusmodi Brasiliæ contulit, sed earum loco dedit aërem ventorum clementia salubertimum: fontes fluminaq; multa, eaq; grandia, sylvarum satis. Distinxit terram in planiciem & colles delicato, vestivit eam jugi amœnitate, doravitq; multis tutissimisque portubus, abundat supra modum saccaro quod eo intulerunt Lusitani,

tani, maximamque ejus vim foras mittit. Novi Orbis appendices fere sunt insulæ Philippina: quamvis enim si earum situm bene consideres, habendæ sunt pro parte Asiæ, tamen per Novam Hispaniam primi earum cognitores ad eas penetrarunt. Earum Insularum 40 suæ clientelæ subjecerunt, pacatasq; reddiderunt Castellani. Quum itaque Regis Catholici imperium adeo capax, ne dicam infinitum sit, dividemus ejus tractationem, quantum ad vires & regimen spectat in quatuor partes. Prima erit de eo quod in Europa continetur: Altera complectetur Novum Orbem: Tertia ditiones quæ in ora Occidentali & Meridionali Africæ sunt: Vltima dominia ejus India & Asia recensebit.

SECTIO I.

DE DITIONIBUS SEU PROVINCIIS IN EVROPA.

DIcamus itaque ditiones, quas Hispaniarum Rex in Europa possidet, esse ex ditissimis opulentissimisque quæ in ea sunt; Hispania enim auro argentoque ditissima Provinciarum cognitarum, tantique momenti est, ut non absque causa prima continentis provincia fuerit, de qua tam acriter Carthaginenses & Romani depugnarunt. Gothi Vandalique, postquam maximam Imperii Romani partem hostiliter persultassent, eam sibi prostratione elegerunt. Trebellius Pollio ipsam & Galliam, robur & nervos Imperii Romani vocat. Constantinus cum Imperium divideretur, prætulit Hispaniam (& nos Itali tantopere nostra, si Diis placet, admiramur) Italiæ. Quum enim ei in partem obtigissent Britannia, Gallia, Hispania, Italia, ipse contentus tribus primis Provinciis, parvi fecit Italiam, eamque socio sua sponte reliquit. Regnum Neapolitanum pulcherrima totius Italiæ gemma audit, & est; natura enim ibidem velut in compendium id omne collegisse videtur, quod propria manu per reliquam Europæ partem dissemmavit. Quid autem dicemus de ditione Mediolanensi? Est ne alius ducatus, annona frugibus, oryza pecudibus, lacticiniis, vino linoque opulentior? Aut opificum & negociatorum multitudine, ædificiorumque populique frequentia abundantior, situque loci commodior. Inter omnes maris mediterranei insulas caput effert Sicilia, cum

cum amplitudine, tum fertilitate. Inter regiones ultra montanas sive terræ fœcunditatem, sive oppidorum magnificentiam, seu politiã, seu locorum munitionem, seu gentis indolem & industriam spectemus (neq; enim aliunde feliciora prodeunt ingenia, nec expessiora priscæ virtutis exempla) Belgium (quod inferioris Germaniæ nomine indigetant) citra contradictionem facile primas obtinet. Rectio, sive regendi forma Hispaniæ, regia est, & Principis, quæ duobus fundamentis nititur, quorum unum Religio, alterum Justitia est: illa protectio favorq; numinis; hac amor benevolentiaque populi comparatur, illa animos frenat, regitq; hæc manus ligat coercetque; denique illa reipubl. bona spiritualia servat, hæc pacem temporariam concordiamque tuetur. Hoc in regimine plurimum maturitatis cernere est: deliberantur enim omnia in consiliis ad id destinatis, potiusq; locum habent consilia gravia & lenta, & cunctatio Fabii, quam temeritas præcepsque festinatio Marcelli. Vitantur, quoad fieri potest, rerum novandarum studia, consuetudinum & institutorum veterum mutationes. Quo respiciens sanctorum quatuor Cardinalis (qui post Pontifex Innocentius VIII. fuit) dicere solebat, ad regimen Hispanos ita attentos, ut hac in re nec hilum erroris ij committerent. Hisce modis Rex Catholicus sub suo imperio (nisi ubi Principum adversariorum vicinitas obstat) nationes moribus, institutis & ingeniis oppido dispares Castellanos, Arragonas, Cantabros, Lusitanos, Italos Germanos, Orbem nostrum Novumque, subditos naturales & acquisitos, Christianos & Gentiles quiete placideq; in officio continet. Ratione quoque cosentaneum est, ut ditiones quæ Austriacæ Familiæ via quieta & pacifica (quales matrimonia & affinitates sunt) accessere, moderate quieteque administrentur, quumque initia adeo justa honestaq; fuerunt, diutissime durent. Quod aliqui objiciunt hoc Imperium durare non posse, ideo, quod divisum diversumque sit, haud est momentosum. Præter enim argumenta à nobis adducta in disputatione de Statu, quibus contrarium evicimus, est adhuc hoc argumentũ, quod dominia magna, à ruina adversus mala extrinseca, mediocria autem adversus intestina, melius conserventur. Cæterum in Imperio ita diviso, sunt amplitudo & mediocritas simul unitæ: amplitudo in toto corpore ex membris distinctis composito consistit; mediocritas autem in majori membrum parte. Cum enim aliqua ejus

Imperii membra, (nempe Hiſpania, Peruvia, Mexicum) per ſe magna ſint, omnia illa bona habent, quæ tum amplitudo, tum mediocritas ſuppeditare poteſt, nempe magnam potentiam adverſus hoſtes externos, & ſecuritatem adverſus corruptelas domeſticas. Adde his, quod viribus maritimis omnia Imperii (de quo loquimur) membra uniri poſſunt. Quemadmodum enim Cæſar Auguſtus, una claſſe, quam Ravennæ tenebat, & alia quæ Miſſeni erat, totum Imperium Romanum ſecurum reddebat, ita & Rex Catholicus, duabus, quas teneret, claſſibus unam in noſtro mari, alteram in oceano, omnia Imperii ſui membra, tàm quæ in Europa ſunt, quàm quæ in Novo Orbe habet, unire poſſet. Bonus itaque myoparonum & navigiorum bellicorum numerus, quem in mari Atlantico teneret, non ſolum oram maritimam Hiſpaniæ & Americæ, claſſesque quæ ſurſum deorſumq; navigant ſecuras redderet, ſed & Angliam adeo Zelotypam (ut ita dicam) faceret, ut Regem Belgio pacate frui ſineret. Quod claſſem maris mediterranei attinet, ea ditiones eas ita conjunget, ut earum vires ſemper in ea ſint, ſicut videmus Luſitanos viribus maritimis ditiones, quas in Perſia, Cambaia, Decan & in reliquo Indiæ habent ab hinc 90 annis & amplius, glorioſe ſibi conſervaſſe. Quidam egregii præſtantesque viri, in deliberationibus ſuper id habitis oppoſuerunt rivalitatem ſive æmulationem Turcæ, dicuntque, quod ſi Rex ut parcat expenſis immodicis, quas in arces facit, ea impenſa claſſem 150 aut plurium triremium inſtruere velit (quod ei factu facile eſt) incitabit Turcam (cujus claſſis 130 triremium numerum non excedit) ut Rege ſuperior ſit, earum ducentas inſtruat, unde ſuæ majeſtat, expenſæ faciundæ erunt, nec tamen aliquid ad ejus potentiam accedet. Ea ſubtilitas, ne arguta dicam verſutia, excedit modum. In rebus quoque practicis nihil infelicius, quam nimium ingenii acumen ſuccedit. Non ſufficit enim dicere, quod Turca viribus maritimis Rege ſuperior eſſe velit, ſed videndum eſt, num id in ejus poteſtate ſitum ſit. Quamvis enim Turca plus oræ maritimæ quàm Rex habeat, non tamen plus nervorum habet, nec gentis machinationibus navalibus aptæ. In tota enim Africæ ora non habet, exceptis Algiera & Tripoli, locum, ubi aut fabricare, aut tenere par triremium poſſit. Idem de Ponto Euxino dicimus, ubi nihil magni momenti eſt, præter Capham & Trapezuntem. Idem dici poſſet de tota quaſi ora Aſiæ. Non

satis enim est habere multum oræ maritimæ, sed pluribus opus est: populo inquam qui arte marina delectetur, qui labores & incommoda maris tolerare possit, cui cordi sit navigatio & negociatio in mari cui ligni & cannabis sit satis, qui minis ventorum & horrore tempestatum non exanimetur, qui vitam periculis exponere & in iis versari audeat, qui mortem inter Scyllam & Charybdin provocare non extimescat. In dimidia parte Imperii Turcici, populus mari assuetus non est, nec qui comparari vel opponi Catalanis, Cantabris, Lusitanis, Genuatibus, (hos nomino propter multa officia quæ Regi Catholico in suis classibus præstant) possit. Duabus denique rebus Rex Catholicus Turcæ prævalet: Una, quod quamvis Turca sub suo imperio plus populorum quàm Rex habeat, eis tamen, quod maxima eorum pars Christiani sint, contra nos fidere non potest; altera, quod oræ maritimæ Regis magis unitæ sunt quàm quas Turca habet, eoq; nomine conjungi Regis vires facilius possunt. Compertum est etiam classes Orientales plerumque ab occidentalibus, Meridionales à Septentrionalibus, Carthaginenses à Romanis, Asiaticas à Græcis superatas fuisse. Cæsar Octavius classibus Italicis fregit Ægyptias: nostro tempore Christiani Turcicas. Ipsi Turcæ fatentur suas triremes nostris virtute cedere, timentque earum impetum. Quoties Carolus V. voluit classes armare, tantas vires conjunxit, ut Turca se loco movere non sustinuerit; duxit enim Carolus in expeditionem Algieranam quingentas naves, in Tunetanam plus quàm sexcentas. Andreas Auria tantas copias duxit in Græciam, ut Turca se loco movere non audente ceperit Patras & Coronem ἡ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα.

Nihil dixi de viribus maritimis, quas Rex habes in Oceano Germanico propter motus Belgii. Verum enim vero, quæ Europæ regio habet majorem navium hominumq, excellentium, qui cum impetuosi maris tempestatibus certare valeant, quàm qui vulgo Rammekens vel potius Zepyrgum dicitur Antvverpia & Amstelredamum? Nihil dicam de concursu navium omnis generis Hispali, quo appellunt classes Novæ Hispaniæ & Peruviæ, quibus semper maximas navarcharum & navarum numerus exercetur. Meum non est loqui de virtute Cantabrorum in re maritima, qui tum in arte militari, tum nautica excellentes evadunt, parique ferocia hosti armato & undis tremendis Oceani obviam eunt. Demonstravimus fere præ-

ter inſtitutum vires maritimas. Dicamus nunc paucis de terreſtribus. Eæ conſiſtunt in peditatu & equitatu: ad illum quod attinet optimus miles pedeſtris Germiæ eſt is, qui vulgo Walon dicitur; de Hiſpano non eſt meum dicere, quod hæc natio ab omni ævo ex bellicoſiſſimis totius orbis gentibus extiterit. Galli novem annorum ſpacio, à Romanis domiti ſubjugatique fuere: Hiſpani bella ad ducentos annos duxerunt. Domandis Cantabris Auguſti Cæſaris potentia & perſona neceſſariæ fuerunt. Hiſpani ſuam patriam Mauris eripuerunt, ſtatimque ea expeditione defuncti, invaſerunt Africam, ceperuntque præcipua ejus loca. Luſitani invaſerunt Mauritaniam, impoſuerunt frena oræ Guineæ, Æthiopiæ & Cafrariæ, conquiſiverunt Indiam, Malacam, & inſulas Moluccas. Caſtellani navigando Oceanum Atlanticum Novi Orbis dominium ſibi ſubjecerunt, in quo tot regna, Provinciæ, populique linguis, veſtitu, moribus differentes ſunt: expuleruntq; Francos Neapoli & Mediolano. Hiſpanorum victus in ſagacitate ſita ſit, nulla enim alia gens melius novit quid in bello conducat aut quid obſit: in diligentia, nihil enim per ſocordiam elabi ſinentes, πανοῦς γὰρ εἰσι καὶ δυνοὶ ἄνθρωποι πράγμασι χρῆσθαι, uti foro norunt, unione concordiaque, nunquam enim extra patriam inter ſe manus conſeruerunt, denique in tolerantia famis, ſitis, æſtus, frigoris, incommodorum laborisque qua omnes alias nationes defatigant. His virtutibus ab hoſtibus præclaras victorias reportarunt. Quamvis autem aliquando victi fuerunt, eos nihilominus à quibus victi fuerant vicerunt, ſicut accidit ad Ravennam. Nec unquam inſigni cladi effecti fuere, quamvis adverſos fortunæ caſus ſubierunt in expeditione Algeriana & Anglicana. Tria aut quatuor Hiſpanorum millia ſurſum deorſumq; verſarunt nobiliorem Germaniæ partem, perruperuntque undique per medios hoſtes. De peditatu Italico qui Regi Catholico paret, non eſt meum dicere; notum eſt enim robur militare Marſorum, Pelignorum, Hernicorum, Samnitum Lucanorum. Quod ad equitatum attinat, Hiſpaniæ Rex generoſiſſimam equorum Europæ ſtirpem habet, nempe Aſturcones Hiſpanicos, qui vulgo Giannetti dicuntur: majores Neapolitanos quos vulgus Corſieri (quaſi equos ad curſum, ut Varronis verbo utar; idoneos dicas) appellat: Sequanicos qui inter Francicos antecellunt, & Belgicos qui Germanicis prævalent. Hos populos natura ſuos armaſſe videtur ferro fo-

ro fodinarum Buſcaiæ & Guipuſcuæ & Molinæ, temperatura quæ ſit Bajonæ, Bibili, Toloſettæ, Calatajut, officinis armorum Mediolani, Neapolis, & Auſcoducis: inſtruxiſſe eos annona, commeatu & horreis in exhauſtis Apuliæ, Siciliæ, Sardiniæ, Arteſiæ, Caſtiliæ, Andaluſiæ: eis quoque largita eſt copiam vini, nempe Somæ, Calabriæ, San Martini, Aimontis aliorumq; locorum infinitorum. Abundat deniq; Rex Catholicus auro & argento, quo quantum vult equitatus peditatusq; Italici Germanici (ne gens hiſpanica tot in partibus diverſisque expeditionibus intricata conſumatur) conducit. Dicamus nunc de ditionibus, ad Regem Catholicum propter coronam Luſitanicam pertinentibus. Hoc regnum, quod 320 milliaribus longum, 60 autem latum eſt, quamvis nec regione, nec terra valde magnum, nec per ſe proventibus valde dives ſit, in ſitu tamen ad navigationes commodiſſimo, & faciendis acquiſitionibus oportuniſſimo eſt. Inhabitatur enim à populo tanti animi, ut expeditiones in Barbariam, Æthiopiam, Indiam, Braſiliamq; fecerit. Iamq; per 90 annos, dominium locorum, & portuum majoris momenti dictarum Provinciarum, & Patronatum navigationis Oceani Atlantici, & Eoi ſibi vendicat. Antequam autem pergamus opus eſt pauca dicere, de Inſulis Terzeris, quæ etiam coronæ Luſitanicæ ſunt. Hæ Inſulæ propter earum ſitum, adeo oportunæ & neceſſariæ ſunt, ut absq; eis ipſis navigatio in Æthiopiam, Indiam, Braſiliam & Novum Orbem vix fieri poſſit. Claſſes enim quæ ex dictis regionibus veniunt Hiſpalim & Olyſipponem eas vix vitare poſſunt, quin in eas deſcendant: claſſes Occidentales ut ventos ſequantur: Orientales autem ad comparandum ſibi ventos ſecundos. Celebres non ita pridem factæ ſunt, primum propter obſtinationem incolarum, contra Regem Catholicum, jam tum quum Rex Catholicus regni Luſitanici ſucceſſor factus eſt. Denique ob victorias, quas adverſus claſſes Franciæ & Angliæ Hiſpani circum ipſas ſibi peperunt. Principes, quorum regiones Regis Catholici ditionibus confines ſunt, & reſpectu virium aliquo in pretio habentur, ſunt Veneti, Franciæ & Angliæ Reges, & Turcæ. Apud Venetos amnde ab eo tempore, ex quo ditio Mediolanenſis penes Hiſpanos eſt, res in ſumma quiete, pacatiſſimæque ſunt, quod Veneti tuitione potius nituntur, ſummopereq; oppidorum ſuorum & arcium munitioni incumbunt, minus rerum acquirendarum conſiliis; quum

enim eorum Resp. tota ad pacem collimet, non expedit ut res in vicinia turbent. Regi Catholico quoq; tot ditiones sunt, ut eis contentus sit, gensque Hispanica tot expeditiones adversus Turcas, Mauros aliosque hostes in Europe, Asia, Africa, Americaque, easque tàm necessarias utilesque præ manibus habet, ut in eos iram suam plenis effundat habenis. Sed & vidimus Hispanos prompte alacriterq; arma in gratiam Venetorum cepisse, jam tum quum eorum Respublica in maximis difficultatibus bellorum esset, quæ ei intulerunt Bajazethes, Solimannus, Selimus II. ad Cephaleniam, Prevesam, Lepantum: habent tamen, habentque Hispani ad suum latus Algierum, Tunetum & Aphrodisium, quæ Hispaniæ, Siciliæ, Sardiniæ, Balearibus & regno Neapolitano viciniora sunt quàm Cyprus, & insulæ maris Ionii. Quod ad Franciam attinet, Rex Catholicus eam protegendam suscepit, fecitque expensas inæstimabiles in Langedocia, Guienna, Provincia, Normannia, Delphinatu, Britannia, Lutetiæ Parisiorum aliisque in locis. Quid autem diceremus, si Francia cum Hispania sub una corona uniretur? Primum id quidem optari magis ab Hispanis, quam effectum dari posse dico: præterea quod vires Francorum in impetu, Hispanorum autem in cunctatione consistunt, non enim aliter animi sensa exprimere valeo. Facilius autem est, ut cunctando impetus retundatur, quàm ut contrarium accidat: impetus enim facile prævidetur, vitatque aut eludit eum vir constans. Magnus Capitaneus quum se contulit in Barlettam, & postea substitit ad ripas fluvii Liris, qui nunc vulgo il Gariglano dicitur, primo eripuit Gallis possessionem regni Neapolitani, deinde spem id recuperandi iisdem artibus fatigavit Antonius Leva Regem Franciscum ad Ticinum: Prosper Columna autem ejecit eius Regis Capitaneos è ditione Mediolanensi. Fateor equidem impetum multum in oppugnationibus urbium valere, fateor quoque Francos hac in re aliquid præstitisse ad Ivosium, Momedium, Caletum, sed in summis præliis ut plurimum victi fuere, nempe Grevelingæ, S. Quintini, & Senæ, in his enim plus valet ordo & ars quam furor: in illis autem, nempe oppugnationibus plus efficit impetus & furor, quàm consilium. Etsi autem Hispani, cunctando, præclaras rerum gerendarum occasiones elabi siverunt, eaq; ex causa sæpè in commoda patiantur, illa tamen cunctatio ipsis fere semper, cum Gallis maxime, non solum in rebus

belli

bellicis, sed & in tractationibus negotiorum feliciter cessit. Venia-
mus nunc ad Angliam. Anglorum arma ad sui defensionem quam
liis offendendis, aptiora sunt, idq; à natura habent Insulæ, quæ a-
icujus momenti & potentiæ sunt, aliæ nec ad offendendum alios,
ec seipsis defendendis valent. Vidimus itaque Anglos, nihil un-
quam in continente præclari feciſſe, nisi ab aliis suffultos: divexa-
um quidem Franciam, sed auxilio Ducis Burgundiæ, ipsi à nemi-
e suffulti, non solum quod in Francia acquisiverant, sed & ditio-
es hæreditarias amiserunt, exceptis Caleto & Comitatu Oyensi,
uæ etiam nostro tempore intra paucos dies, per Franciscum Du-
em Guisium eis erepta sunt. Angli nunc Belgium exagitant, sed
uxilio Belgarum in primis: sic ut natura Angliam finxisse potius
d se sito instatu conservandam, quam ut aliarum ditionum vicina-
um accessione imperii sui pomeria proferat, videatur. Sunt itaque
ngliæ vires divexandis Regis Catholici ditionibus, quam iis pe-
iculo involvendis magis idoneæ. Facilitatem eas divexandi præ-
et ipsarum amplitudo & opulentia, latronibus & pyratis multis in
cis exposita. Sicut autem nemo miratur Turcam adeo potentem
rincipem, mare à duabus aut tribus triremibus Sancti Iohannis,
ut S. Stephani tutum reddere non posse: ita nemini mirum videri
ebet pyratis Anglis in immenso illo Oceano, qui Regis Catholici
itiones alluit, iter præcludi non posse.

SECTIO II.

DE NOVO ORBE.

TRansmittamus nunc Oceanum. Ditiones quas Rex Catholi-
cus in Novo Orbe habet tàm magnæ, tantæque potentiæ sunt
t hostes non timeant. Hispani fundarunt in omnibus locis opor-
nis optimas colonias. Occupantiis fauces fluminum, portus
aris, & præcipuos transitus, omnesque situs ad in officio conti-
endum regiones, annona fertiles aut dites venis minerarum aptos,
t ad frenandum populos bellicosos, aut validas civitates. A me-
die nullum hæ regiones hostem habent, qui eis molestus sit: nul-
enim ibidem Insula, nec Continens, ipsis ad aliquod milliarium
illia adjacet. A latere Septentrionali vexantur aliquado à Fran-
s, & Anglis, qui ut classes portusque deprædentur, eo usque excur-
nt. Maximum damnum passi sunt, Anno 1586. quo Franciscus

Dracus,

Dracus, Anglus, diripuit Sancto Dominici oppidum, in Insula Hispaniola, & Cartagenam in Continente: sed ea Anglorum audacia in causa fuit, ut Hispani circumspectiores facti sint, meliusque earum regionum securitati prospexerint. Eæ à Septentrionali latere, â natura mirabiliter munitæ videntur, primum tot Isulis, quæ pro seto, aut vallo Novæ Hispaniæ sunt: deinde frequentia brevium, vadorum fluctuumq; varietate, qui ibidem cadunt, vulgus eos currentes dicit: denique uno fluctu rapidissimo, qui per Sinum Pariæ (ubi os Draconis vocatur) intrans, deinde inter Iucatan & Cabam transiens, inter Cubam & Caput floridæ, tàm rapide se retrorsum vertit, ut nec expansis celox velis eum ullo pacto superare valeat: hic fluctus, ventorum varietas, aliaq; maris pericula eos animi dubios reddet, qui portu, quo se recipiant carent. Porro Rex Catholicus eo naturæ beneficio utens, ædificavit præclaram arcem in quadam Insula, Veræ crucis oppido vicina, in plaga, inquam, Mexicana sita. Extruxit & aliam munitionem Havanæ, in Cuba ex adverso Floridæ, tollit illa hostibus oportunitatem evitandi fluctum; hæc facultatem eo utendi: ædificavit denique arcem validam in Sancto Dominici oppido, quod tàm oportune situm est, ut obtinendo ejus maris Imperio factum esse videatur. Et ut concludam: sicut situs Italiæ ad maris mediterranei dominium obtinendum factus, ita & Hispaniæ ad Imperium Oceani obtinendum videtur. Ipsa denique experientia docet, Hispanos suapte natura variis climatum, regionumque plagis tolerandis, magis quàm cæteros esse idoneos. Philippinæ quoque ad Novam Hispaniam pertinent, non quod inter ejus aut Novi Orbis fines comprehendantur, sed quod anno 1564 detectæ fuerunt per Michaelem Lopezium Legaspe, qui à Ludovico Velasqueo Novæ Hispaniæ Prorege ad detegendum incognitas regiones missus fuit. Dictæ sunt Philippinæ in honorem gloriamq; Philippi Regis Hispaniarum, cujus auspiciis ea expeditio suscepta erat. In illo oceano, qui se inter Novam Hispaniam & Taprobanam extendit, esse undecies mille omnis generis & magnitudinis insulas, creditur. Quamvis autem Hispani eas omnes nomine Philippinarum comprehendant, id tamen nomen proprie iis convenit, quæ septentrionaliores sunt: earum hucusque plus quam 40 sibi acquisiverunt, cum una myriade hominum eas inhabitantium. Præcipua dicitur Luzon, quæ ducentas leucas quidem

longa

longa, sed admodum stricta est. Ibidem ad os magni fluvii, qui Manila vocatur, ædificarunt bonum oppidum idque utrinque mari flumineque cingitur: ubi fluvius in mare se exonerat, frabricarunt turrim robustam, ab alia autem fluvii parte civitatulam, quæ primum ligno & terra, deinde muro è lapide & calce cingitur. Majori insularum est nomen Vendenao, celebriori Tandaja, quæ, quod primum detecta fuerit, dicitur Philippina. Inter alias est illic Cebu, in qua obiit Magellanus, ambitur undecim leucis, est in decimo gradu latitudinis: hæ & aliæ insulæ vicinæ abundant universaliter venis auri & frugibus. Vendenao quoque cinanomo, cujus multum in Novam Hispaniam atque adeo in ipsam Hispaniam importatur. Rex Catholicus mandavit, ut ex Nova Hispania in eas insulas boves, vaccæ, equi, equæ ad propagationem deferrentur: numerus Hispanorum, qui illas regiones conquisiverunt defenduntque accedit hodie ad mille sexcentos. Milites qui inter hos, non sunt plures non gentis. Ædificarunt arces in locis oportunis maxime in Luzon, in Pavai, & Cebu, tenentque ibidem aliquas triremes & celoces. In Manila civitate habet domicilium Episcopus cum 18 viris Ecclesiasticis, Patribus Ordinis Divi Augustini, & Societatis Iesu, quorum opera studioque ad sacram fidem circiter trecenta hominum millia conversa sunt. Maxima difficultas quæ in eorum conversione est consistit in polygamia, quæ cunctis gentibus communis est. Sunt hæ ditiones momentosiores quam quis existimet. Vltra copiam n. alimentorum, & auri quod ibidem reperitur, sunt in situ percommodo, tum ad subjugandum insulas vicinas & conservandum Moluccas: tum ad introducendam navigationem in illum archipelagum & Novam Hispaniam & commercium inter Chinam & Mexicum: hæ res magni ponderis sunt, sed id quod gravitate rei vincit hæc omnia, est, quod inde tanquam freno, cœpta sunt conhiberi secta & arma Mahumetana, quæ paulatim sibi dominium tam insularum, quam oræ Asiæ parabant. Quin & Castellanis, ex Nova Hispania Peruviaque expeditio, quam Arabibus ex sua ditione facilior est. Præterquam n. quod illi viribus superiores istis sint, compertum fuit, navembimestri spacio ex Peruvia ad Philippinas (quæ minus ab Apulcoa & Salisco, quam Peruvia distant) appulisse, quo navis semestri, ex Arabia non pertingat: non ob id modo, quod Arabia à Philippinis longius dissita sit quam Peruvia, sed quod venti com-

munes, navigationi Caſtilianorum (hi enim recta, illi curva navigant linea) favent impenſius. Conficiunt præterea Caſtellani inſtitutum iter uno tractu, Mauri autem pluribus, mutatur enim eis ad caput Comorinum tempus æſtivum inhibernum. Idem quoque fere eis accidit Malacæ ubi venti (quos vulgus Monzonos dicit) expectandi ſunt. Quod amplius eſt Caſtiliani ſemper vento ſecundo & in mari tranquillo, quodque inde mare Pacificum dicitur: Arabes a. in Archipelago, in quo varios improviſosque ventos experiuntur inciduntque in latrones hominesque facinoroſos, navigant. Adde ſupradictis, quod ſicuti exiſtimatio Caſtilianorum opitulatur Luſitanis ob vicinitatem, Luſitanorum virtus id Caſtilianis abunde beneficium fœnerat: ac ſi contingat ut hi duo populi conjungantur unianturque, nihil non in illo mari efficient, quod cum Chinenſes probe norint, proſpiciunt caventque ſibi, Chriſtianorumque vicinitatem & arma ſuſpecta habent.

SECTIO III.

DE DITIONIBUS IN AFRICA ET ETHIOPIA.

PRæter Septam & Tanger oppida, quæ Rex Catholicus ratione coronæ Luſitanicæ poſſidet ad fretum Gaditanum & Mazaganum extra fretum, 20 ab Atzilla milliaribus magis meridiem verſus, Rex Catholicus in ora Africæ à Capite Aguero, ad illud quod Guardafu dicitur uſq; duo ditionum (Status vocant) genera habet; aliqua enim ipſi immediate, alia fœderatis ipſius ſubſunt. Parent eidem Inſulæ Maderæ, Portus Sancti, Capitis viridis, Arguin, Sancti Thomæ, & vicinæ. Hæ dictæ inſulæ non modo ſe ſua annona ſuſtentant, ſed & inde in Europam mittunt, inprimis ſaccharum fructusque arboreos, quibus maxime, ſicut & vino, abundat Madera. Sacchari maximam etiam copiam conficit Sancti Thomæ Inſula. Hæ ditiones non ab aliis quam à piratis Anglicis & Francicis, qui in. Caput Viride non tranſeunt, infeſtantur. In inſulis vulgo Arguin & S. Georgii Dellamina, habent Luſitani duas inſtitorias (quas Fattorias vocant) eaſq; ad exemplum arcium factas, domos, unde cum gentibus vicinis Guineæ & Libyæ negociantur, aurumque ad ſe ex Mandinga locisque finitimis trahunt, Inter Principes confœderatos

deratus ditisſimus honoratisſimusq; eſt Rex Congo; poſſidet enim regnum quod luculentum eſt, aerisque temperie opaca, rerumque copia cæteris Æthiopiæ plagis antiſtat. Luſitani ibidem duas colonias habent: unam in S. Salvatoris civitate, alteram in Inſula, quam Loandam dicunt. Percipiunt ex hoc regno diverſas opes, ſed præcipuæ ſunt plus minus quinq; millium mancipiorum, quæ illinc quotannis in inſulas & novum Orbem avehuntur, proque unoquoque quod evehitur mancipio, penditur amplum vectigal coronæ Luſitanicæ. Ex hoc regno facile ad Presbyterum Iohannem perveniri poſſit: non enim longisſimè illinc abeſſe exiſtimatur. Congoni regnum adeo elephantis, annonæ copia, omnique alia neceſſaria re affluens eſt, ut ei expeditioni ſingularem commoditatem adferre poſſet. Eſt etiam Congo confinis regno Angolæ, cum cujus Principe nunc bellum gerit Paulus Diaz Luſitanorum Capitaneus: belli vero cauſa primaria ſunt quædam fodinæ argenti, quæ Potoſianis neutiquam cedunt; tanto autem illis meliores ſunt, quanto argentum purum, mixto impurove præſtat. Ut autem quod res eſt dicatur: ſi Luſitani tanti res vicinas, quanti longinquas feciſſent, easque vires, quibus Caput bonæ ſpei ſuperarunt, penetraruntque in Indiam, Malacam & Moluccas, contuliſſent in expeditionem Africanam, facilius minorique expenſa majores ſibi opes paraſſent. Nulla enim in orbe regio auro argentoque ditior eſt regnis Mandinga, Æthiopia, Congo, Angola, Butua, Teroa, Maticuca, Boro, Quitievi, Monomotapa, Cafati, Monœmugi.

„ Humana ſed enim cupiditas plerumque rem
„ Pluris alienam, quam ſuam ipſius facit,
„ Remotiusque res videtur diſita
„ Propiore major eſſe re.

Inter promontoria Bonæ Spei & Guardafuenſe habent Luſitani arces Cefalæ & Mozambique: illius opera negociationis regionum circumſtantium (quæ omnes auro eboreque abundant) dominium ſibi ſervant, hujus autem beneficio navigationem, Indiam verſus, faciliorem levioremque ſibi reddunt, propterea, quod ipſorum claſſes interdum ibi hibernant, interdum ſeſe ibidem refocillant. Habent in hac plaga Regem Melindæ, ſibi amicisſimũ, Reges Quiolæ aliarumque vicinarum inſularum tributarios. Nihil, niſi Viri Luſitanis deſunt; præter enim alias inſulas, quæ quaſi ſe proſtituunt

omnibus, eſt hic inſula S. Laurentii inter majores, aut maxima totius orbis cenſenda, longa eſt 1200 lata autem 480 milliaribus. Quamvis autem parum colatur, eſt tamen ob ſuam bonitatem omnis culturæ capax, diſtinxitq; eam natura in flumina; portus & ſinus commodiſſimos. Hæ coronæ Luſitanicæ ditiones, non alias vires quam maritimas timent, quæ ex Turcis tantum conſtare poſſunt. Sed perpetuus curſu claſſium Luſitanicarum (quæ ultro citroque per illas oras navigant) eas prorſus ſecuras reddit, ceperuntq; anno 1589 apud Mombazam 4 triremes, & unam navem longam Turcarum, qui eo uſque penetrare ſuſtinuerant.

SECTIO IV.
DE
DITIONIBUS ASIÆ.

HÆ ditiones in Perſia, Cambaia, India, citeriore & ulteriore ſunt. In Perſia habent Luſitani Armuzium: in Cambaia inſulam Diu, Damain & Bazain. In India citeriore poſſident inſulam Caul, inſulam Goam, cum vicinis arcibus Cochim, Colam, & inſulam Mavar, portum Columbo in inſula Zeilan. Sed caput eſt Goa, ubi Prorex vires Indiæ ſecum trahens, habitat. Armuzium & Goa magni æſtimantur propter dominium maris & commercium ſinuum Perſidis & Cambaiæ: Cochimum & Colamum propter copiam piperis, quod inde navibus impoſitum avehitur. Mavar, propter piſcationem margaritarum, quæ in illo mari fit: Colombo, propter excellentiam & copiam cinnamomi, vel cinnami, quod ex ea inſula exportatur. Damain & Bazain, propter fertilitatem regionum circumjacentium: quam ob rem Iohannes III Luſitaniæ Rex, veteranis prædia in dictis regionibus aſſignavit. Goa maximi momenti eſt, propter ſitus oportunitatem, cui terræ ubertas conjuncta eſt. Omnes hæ Indiæ regiones, goſſipio, palmis (unde maxima incolarum pars ſe ſuſtentat) oryza, pipere, zinzibere aliisque fructibus abundant. Habet Rex Catholicus hic adhuc nonnullos principes amicos, alios tributarios. Amicorum primus ditiſſimusque eſt Rex Cochimenſis, qui primum beneficiarius Regis Calecuti fuit, nec admodum potens erat, nunc amicitia & commercio Luſitanorum tantas opes vireſque acquiſivit, ut & regibus vicinis ſit invidendus.

Rex

Rex Colami quoque eidem amicus est. In duobus hisce locis habet Rex civitatulas quantivis pretii. Sunt & ibidem nonnulli Principes tributarii. Lusitanorum in his ditionibus vires duabus in rebus sitæ sunt: una est situs locorum & robur: altera numerus classium, & earum præstantia; ad situm quod attinet, Lusitani scientes, se propter exilem suorum numerum, in mediterraneas regiones, magni momenti expeditionem suscipere non posse, nec se viribus pares esse Persis, Guzaratis, Principibus Decam, Regi Narsingæ & aliis, in hoc incubuerunt, ut eos situs, qui sibi commodi idoneiq; videbantur, ad maris negociationisque dominium sibi parandum & in quibus pauci maximis copiis frontem obvertere possent, sibi compararent. Quumque portuum pelagique domini sint, tantas vires maritimas commode conjungere valent, ut nemo ipsis ibidem resistere valeat: navigiaque eorum talia, eoque modo instructa sunt, ut nec eorum unum, tria, quatuorve alterius generis extimescat. Atque, ut aliquid dicatur, ex quo quid ipsi in India possint cognoscatur, Franciscus Almeida cum 21 paulove pluribus navibas fudit Mamaluchos invicina Diu oppidi: Alfonsus Alburquercius, cum classe 30 magnarum navium oppugnavit Calecutium: navibus 21 cepit Goam: 34 recepit eandem: 23 cepit Malacam: 26 ingressus est mare rubrum: 22 recepit Armuzium. Deinde rebus eorum magis magisq; invalescentibus, duxit Lupezius Zuarezius in expeditionem maris rubri 37 naves magnas: Lopezius Sequeira 24 navibus (sed majore qua unquam antea militum copia) tentavit Guiddam ad mare rubrum: 40 Dium oppidū: Henricus Menesius 50 navibus vastavit Patane oppidum. Lopezius Vazius Sampaius reliquit in armamentario 136 navigia bellica, omni ex parte rebus necessariis probe instructa. Nonius Acugna suscepit expeditionem in Dium 300 navibus, in quibus erant Lusitanorum tria, Indorum quinq; millia, excepto famulorum armatorum satellitio, quos secum magno numero ducere solent. Dominus Constantinus Braganza, habuit in expedicione Onorensi 60 naves velivolas, nec minorem numerum in ea, quam in Ionesc patau suscepit. Præter Principes confœderatos & tributarios, sunt his ditionibus confines potentissimi hostes nimium Persa, qui in Armuzium (quod sub clientela ejus fuit) jus sibi vendicat: Rex Cambaiæ, qui DIVM (quæ insula illi quondam paruit) aliaq; loca quæ ipsius aliquando fuisse diximus, recepit: Niza-

zamaluccus & idalcamus (ita vocantur à Lusitanis duo potentissimi Principes regni Decan) Reges Calecutii & Narsingæ. Sed Reges Persiæ & Narsingæ nunquam Lusitanus bello impetivere, quod eis semper cũ aliis longe potentioribus hostibus res fuerit. Alii quamvis ad recipiendum Dium, Chaulem, Goam aliaque loca, omnes nervos intenderint, nihilq; in eo molimine intentatum reliquerint, nullam tamen expeditionem momentosam ad felicem optatamq; catastrophen perducere valuerunt; situs enim locorum, marititimis auxiliis recipiendis commodissimi sunt. Ac quamvis hostes expeditiones hyeme (ut facultatem auxilii ferendi Lusitanis eriperent) susceperint, nihil tamen profecere: quod navium Lusitanicarum conditio & apparatus, & feroces Lusitanorum animi quævis pericula contempserint; dum itaq; certatim operam dant, obsessi ut perdurent, & patienter vincant. Alii ut sociis obsessis succurrant, omnibus ventorum marisq; periculis se exponunt, omnes hostium conatus irritos reddiderunt. Nullus autem Lusitanis acrior formidabiliorq; hostis est ipso Turca, qui ea commoditate fretus utensque, quam urbs Adena ei præbet, ex mari rubro, identidem eos India expellere conatus est, ad eam expeditionem modo à Rege Cambaiæ, modo ab ambitione sollicitatus. Maxima classis quam Turca instruxerit 64 navium fuit, quas adversus Dium misit: sed ea in turpem fugam acta est. Misit deinde aliam classem 22 magnarum navium in expeditionem Armuzianam, quæ classis fere tota oppressa quassataque fuit. In Zeilan nihil præter arcem Colombo Lusitani habent: Rex enim qui eorum tributarius erat, à Mauro, qui Singapandar dicitur, regno exutus, nunc tanquam exul vivit, sustinetq; se auxilio, quod ei suppeditant Lusitani. In India ulteriore habet Lusitanica corona regnum Malacense & Insulas Moluccas. Malaca Metropolis caputq; regni est, quod ad 270 milliaria patet: seu ob aeris parum salubris intemperiem à paucis inhabitatur, nec ibidem aliud oppidum magni momenti, quam ipsa urbs Malaca conspicitur. Hæc ita sita est, ut non tantum omnia commercia, sed & itinera, (quæ per immensum illum Oceanum à faucibus maris rubri ad Caput Liampo fiunt usq;) conjungat uniatque: eo quoq; importantur opes continentis, totq; illarum insularum, ut omnes simul copulatæ, amplitudine Europæ non cedant. Malaca quondam multo major erat: extendebatur enim secundum maris plagam ad plus quam tria milliaria:

iaria: sed Lusitani, (ut ejus defensio facilior & expeditior esset) in
rcem eam redegerunt, quæ supra milliaria in circuitu non conti-
et. Duos potentes hostes habet, nempe Reges Jor & Achem quorum
lle terra potens est, hic mari potentissimus, à quibus ipsa obsessa fu-
t, nec semel in magnum discrimen adducta est, sed auxilio, quod ei
x India venit, semper cum strage & ruina hostium servata est. Tan-
lem Paulus Lima Regem Ior fudit, arcemque ab ipsis in vicinia Ma-
acæ extructam expugnavit, in qua præter alia spolia 900 tormen-
a bellica ærea reperta fuerunt. Hæc ditio magno periculo vel ob
otentiam Regis Achem (quæ tota in ejus perniciem se convertit)
xposita est. Ideoq; Rex Catholicus, ut ditionem Malacensem, à pe-
iculo tutam servet, expeditionem Achensem Matthiæ Alburquer-
io, (quem superioribus annis cum authoritate ingentiq; manu in
ndiam misit) commisisse existimatur. Reliquum est regnum Maluc-
o, ubi Lusitani, quo sibi commercium Caryophyllorum, quæ in Mo-
ucis nascuntur, & Moschocariorum (quæ insulæ Bandæ peculiares
unt) securum efficerent, in Insula Ternate arcem habebant, quæ au-
iliorum in opia his retroactis annis se Mahumetanis dedidit. Ni-
ilominus Lusitani qui se in insulam Tidor receperunt, ibidem mer-
emoniorum artem in se transferentes remanent.

„ In Orbe, terra qua patet, nulla integro
„ Regio aut ditio est, gens cujus è sit pluribus
„ Conflata nationibus, quæ vel magis
„ Animisque moribusque ritibusque, vel
„ Sermonis inter varietate differat
„ Se gente sed qua nulla constans sit minus,
„ Contra, minus sincera, fida, & candida:
„ Hinc fit ut ibidem nulla pax unquam, quies
„ Nec ulla, nec sacri, vel hilum sit boni.

CAPVT XXVIII.
De
UNITIS BELGII PROVINCIIS.

Orma Politiæ Belgicæ fluxit ab intolerabili sævitiâ eorum, qui sub largo Regiæ authoritatis prætextu inclementiùs se sserunt, quàm generosa Belgarum ingenia mollioribus assueta

Impe-

Imperiis, & qui non bello domiti in ditionem & poteſtatem Burgundicæ vel Auſtriacæ domus venerunt, ut leges arbitrio victoris accipere debuerint, concoquere potuerunt. Acceſſit ad exuendam obſequii reverentiam violatio privilegiorum, neglecta ſacramenti fides, contempti mores & inſtituta majorum, fas omne ruptu morte Legatorum, quos patria nefandis malis oppreſſa pacem oratum miſerat, flos nobilitatis ſubjectus gladio carnificum, provinciæ rapinis & injuſtis exactionibus afflictæ atq; exinanitæ, civitates in deditionem acceptæ, nefariis cædibus penè ad internecionem deletæ ac deſolatæ. Sed nullum acrius audendi telum exſtitit quàm ſacer obtentus religionis. Cœleſte enim Dei verbum conſcientiis, animis fortium & piorum hominum tyranni evulſum ſatagebant. Dominicus Baudius in præf. libr. de induciis belli Belgici. Daniel Heinſius in libertate ſauciâ. Alii in aſſertion. & defenſ. Fœderatorum inferioris Germaniæ, Meter. lib. 4. hiſtor. Belg. ubi catalogum facinorum crudelium Albani texit. Et autor libelli de jure belli Belgici refert, eum paucis illis annis, quibus præfuit illi bello 18000 hominum & 600 in utroque ſexu, tum palàm, tum clanculum furialibus carnificinis ſuſtuliſſe. Quo itaque flagitio & ſcelere inſigni iſti hiſtrioni Surio, quem Tholoz. in Politicis mirè ſequitur, aliam cauſam, eamque minoris momenti affingere libuerit, non hîc diſputo. Conſcientia tua quovis tortore pejor te exagitet, atrate Suri. Cauſa optimâ lege ſubnixa, & in Ordinum ſolenni conſeſſu in Unione Ultrajectenſi decretum eſt, ut armis repeti ac retineri poſſint, quæcunque loca viribus armorum expugnata, vel fraudibus circumventa ſe à communi cauſa diſtraxerint. Hujuſce conſulti authoritate graviſſimis & juſtiſſimis de cauſis renunciatum eſt dominationi Regis Hiſpaniarum, ſtatutumque, ut cives harum provinciarum ſoluti legibus externorum Principum viverent, & pro libera Republica cenſerentur. Hoc decretum rectè vocatur pignus Imperii, Palladium publicæ ſecuritatis, multorum civium & fortiſſimorum militum ſanguine obſignatum. Eo enim pacto, ut Baudius lib. 3. de induc. Belg. rectè putat, proviſum eſt, ne ſeorſim à communi conſenſu ſingulæ privatam gratiam captarent, aut adoptando ſibi patronos, aut incundâ reconciliatione cum Rege Philippo. Et cogente ineluctabili telo ultimæ neceſſitatis, ventum eſt ad illud extremi perfugii remedium, decretumq; authoritate publicâ, quum ſatis ſuperque

perque manifestum esset, fas omne divinum humanumque indignis modis ruptum esse ac violatum, jura majorum, immunitates, privilegia Belgis concessa, quorum in verba jurant Principes, quum Imperii gubernaculo admoventur, exposita contemptui ac ludibrio eorum, per quos maximè tutanda erant, nihil reliqui factum ad summam impotentiæ, rapacitatis & violentiæ, sævitum in corpora & conscientias miserorum civium, quumque omnia nequicquam tentata sint remedia, quibus regium pectus moveri posset, ut tantis acerbitatibus & ærumnis mederi dignaretur, ad moderatiora consilia mentem flecteret, officii religionem coleret, promissi fidem servaret, commune gentium ne adspernaretur, tandem unanimi consensu, publico consilio, solenniq; decreto sancitum est, Regem ipso jure excidisse dominio & proprietate Belgicarum provinciarum, civesq; & incolas nullis obsequii legibus ultra teneri, solutosq; esse omni sacramento fidelitatis & reverentiæ, quam subditi Principibus debent, Baud. lib. 1. de induc. Sic ingenti documento compertū est viris fortibus & extrema passis nihil impervium esse, nihil inaccessum. Sacrum bellum, quod libertatem conscientiarum & religionis tuetur, pertinacissimum esse. Populo ad decus omne nato tam degenerem animum non esse, ut velit tam afflictas vires, ut cogatur diutiùs quàm necesse sit permanere in eâ vivendi conditione ac fortunâ, cujus eum pœniteat. Quamdiu autem hæc unio inter eos, & pacta fœdera cum vicinis Regibus ac Proceribus Imperii sancta & inviolata conservantur, Regem non facilè timebunt. Hac jacta alea politia constituta, & solenniter sancita cœpit. Erasmum in Chiliadibus affirmantem audio, non inveniri aliam regionem (de Belgio loquitur) quæ simili spacio tantum oppidorum contineat, mediocri quidem magnitudine, sed incredibili Politiâ Laudes unitarum Belgii provinciarum hîc agnosco. Forma a. administrationis est Aristocratica, disertè scribit Meter. fœderatarum Belgii Provinciarum regimen non esse Democraticum, ut quidem ab illis, qui Reipublicæ hostes sunt, ineptissimè spargitur. In Hollandia, quæ provinciarum sociarum potentissima est, duo sunt Ordines, penes quos est omnis Reipubl. potestas: Nobilitas & civitates, seu ordo Equestris & civitatum. Ecclesiasticum ordinem non agnoscunt. Et illi duo Ordines totam provinciam repræsentant. Ipsa propter amplitudinem suam, & jura institutaque diversa ab aliquot jam seculis in re-

giones divisa est dnas, Hollandiam ita propriè dictam, & VVest-Frisiam. Habet duo Collegia provincialia, quæ Deputatorum nominantur: Hollandicum & VVest-Friſicum. Hollandicum constat è Nobilitate & civitatibus primariis. VVest-Friſicum ex solis civitatibus ejus regionis In universâ Provincia civitates numerantur 33 hodie mœnibus cinctæ, præter fora egregia civitatum instar, sed à mœnibus vacua. Ad Comitia convocantur 19 quarum in Hollandia 11 in VVest-Frisia 8 sunt. Cæteræ, si id petant, utique admittuntur ad Comitia, suffragia tamen non ferunt. Ex civitatibus, secundùm Ordinem Equestem, jus primo loco sententiæ dicendæ à longâ temporis memoriâ competit Dordraco, 2 loco sententiam dicit Harlemũ, 3 Delphi, 4 Leyda, 5 Amstelodamum, 6 Gouda, 7 Roterodamum, & Gorichium, 9 Schidamum, 10 Schoonhovia, 11 Briela, 12 Alcmaria, 13 Horna, 14 Enchusa, 15 Edamum, 16 Monachodamum, 17 Medemelaca, 18 Purmerenda, & sic deinceps. Ad Comitia quomodo vocentur, quoties, quomodo capita Advocatus queîs de in Comitiis agendum mittat, quomodo intersint illis, suffragia ferant, obtineant, de quibus rebus in medium consulant, & quî omnia peragantur, executioque fiat, docent Meteranus & Althusius in suis politicorum libris. Eadem ratio penè in Selandia, aliisque Provinciis valet. Interea in unaquaque Provincia quælibet civitas αὐτονομίᾳ, id est, prærogativâ quadam sua gaudet â majoribus accepta, cui Comitia derogare, è certâ contestatâque sententiâ, non possunt. Ubbo Emmius scripsit librum de agro Frisiæ, inter Amacum & Lavicam, & civitate Groninganâ, in quo doctissimè de Collegiis, quæ domi in Frisia habentur, differit, omnemque hujus rei historiam explicat. Provinciæ autem omnes, quæ numero septem nũc sunt, Concilio Generalium Ordinum inter se devinciuntur. Concilium illud honore & potestate summum, totius fœderis & Reipublicæ caput est, à quo cætera pendent, & leges accipiunt, longè lateque inclytum, haud dissimile Concilio Achaico veteri, aut Ætolico in Græcia, aut Panionio in Asia, sed perpetuum. Sedes ei Hagæ Comitum, quod obeunt viri summi ex omnibus provinciis sociis, qui supremam potestatem in omnes confœderatas provincias & cætera collegia obtinent. Ejus munus augustissimum est, belli & pacis consilia tractare, legationes societatis nomine decernere, literas & legatos Regum, Principum, civitatum accipere & audire, iisque respondere, cum exteris fœdera sancire, controversias inter so-

ci-

cios cognoscere & componere, tributi modum in usum belli & rerum aliarum communium definire, rem monetarum statuto numorum pretio ordinare, denique curare omnia, quæ ad conservandam & tuedam totam societatem, & singulas ejus partes accuratissimè pertinent. Constat viris amplissimis & spectatissimis, quos singulæ provinciæ mittunt. Civitas Groninga, quem adsessorem è suis, itemq; quem agere è suis mirtat, & quo honore polleant adsessores, expedivit Vbbo Emmius. Suffragia verò feruntur non secundùm adsessorum capita, sed ita, ut singulæ provinciæ unum solummodo habeant suffragium. Præsidendi, id est, proponendi, sententias rogandi, suffragia colligendi, concludendi, & similia agendi, jus omnibus provinciis par est, eo modo, ut vicissim per singulas septimanas sibi invicem provinciæ in hoc munere succedant. In Ordinum consessu, qui Consilium Status appellatur jus dicendæ sententiæ habet etiam ordinarius Britannorum Legatus, Senatus autem Ordinum bellica potissimùm, & ærarii negotia curant, dignitate & potestate proximus conventui generalium ordinum, qui quoties res ardua & magna incidit, quæ consilio decretoq; habet opus, in partem curæ & consilii vocatur, & nunc seorsim deliberat de ea, sententiamque suam ad collegium superius refert, nunc cum eodem in deliberando conjungitur. Eodem quippe loco, eadem in arce sedem habet, quò expeditior sit conjunctio. Tertium concilium Admiralitatis & ipsum illustre est, maritimis rebus, quæ opulentissimæ maximæq; in Belgio sunt præfectum, distinctum in collegia minora, velut membra totius. Illorum sedes attingit Emmius & Pontanus. Hæc nūc illa est Politia Provinciatu fœderati Belgii, quæ optimâ lege causâ subnixa inconcussa hucusq; steterit, & jura, terræ, mari posuit, seque conspicuam orienti atq; occidenti exhibuit, gratissimam magnis amicis reddidit, hostibus verè admirandam, & multis modis stupendam: atq; hoc nomine Pacificatio Gandavensis, quæ non optima fide ab illis ipsis servata fuit, utilis Hollandiæ, Selandiæque, aliisque ordinum provinciis exstitit, ut per hanc occasionem constituere potuerint certam Reip. formam Amstelodamum opulentissimum non Bataviæ solùm, sed haud falsò dixerim totius Europæ emporium, magnæ in Repub. authoritatis & dignationis est, etiam ob ignotum argenti & auri pondus, quod in commune contribuunt. Et illorum haud postrema cura, rectisque consiliis ærarium publicum, &

bello nervi ſupeditati ſunt. Amſtelodami theſaurarii publicat pecunias ſibi concreditas habent, quæ utplurimum ex urbis reditibus, vectigalibus, ædium locationibus, cenſu atque ambactu agri contermini more majorum per publicanos, aliosq; colliguntur. Eæq; pecuniæ cùm ingentem auri vim conficiant, cõſtituti ſunt ſeorſim Ration. Illas autem pecunias ordines intra urbis pomœria accipiunt. Vnde & expenſi acceptiq; rationem non urbi, ſed provinciæ quæſtores reddunt. Nec ex vectigalibus modò, ſed oneribus etiam & locationibus ædium nummus circiter quinquageſimus ad publicam provinciæ rationem redit. Qui navium merciumque omnium portoriis colligendis deſignantur, Convoymeeſters, quaſi publici commeatus Præfecti appellantur, quòd hiſce pecuniis, maritimarum expeditionum onera omnia, tum & prætoriæ illæ naves, quæ ad perducendas in tutum receptum negotiationes, navigiaque cætera, inſtrui atq; apparari ſoleant. Curiæ Amſtelodamenſi proximum ædificium Libra eſt. Vectigalia & reditus, qui in urbis totiusque provinciæ commodum hinc cedunt, maximi ſunt. Vrbis vectigal exciſa (ſive cenſus potius eſt) communiter appellatur, quotannisque à publicanis certo pretio de novo redimitur. Provinciæ quod cedit, impoſtam ſive impoſitionem nominant, ſingulisq; ſemeſtribus elocatur quã maximo licitantibus. Vnum hoc oppidi vectigal annuum, aliquando floren. 43800 ſumam excedit: eamq; ſummã Provincię, quæ debetur, colligiturq; Impoſitio ſemeſtri uno lõgè ſuperat. Nam ſæpenumerò, æſtivis præſertim ſemeſtribus, quinquaginta florenorum millibus redimitur: hibernis verò 48300 & circiter ferè. Opes Vnitarum Provinciarum facilè quis metietur è ſumptibus ordinariis menſtruis, quos bello impenderunt. Eorum ſummam conficit. Meter. l. 25.

Geldria & Zutphania contulit	28286	5	7
Hollandia	337646	4	8
Selandia	83029	4	5
Vltrajectum	35131	18	7
Friſia	69721	16	15
Transiſalania	16770	1	8
Groninga	39271	16	2
Drentia	5365	4	8
Linga	2722	6	
Wedda	350		
Summâ unâ	618365	0	8

Extra

Extraordinariæ impensæ belli huic numero non aggregantur. De censu & publicâ opum vi specialiùs plura promere possem: sed cùm generalis nostra harum rerum θεωρία ad singularum urbium æraria & vectigalia se non proferat, manum tollo de tabulâ. Hîc tamen urbis Amstelodamensis fora, quidve publici vectigalis provinciæ ipsi urbi conferant, imò qvam summam naulum vectationis pro advecto frumento, aliisq; rebus aliquando (ingens ea est) conficiat, egregiâ laude memorat Pontanus, ubi & annuas expensas opesq; Orphanotrophii, Gerontocomii edisserit. Alecum piscatio quantum operæ pretium, quantum Reipubl. inprimis Hollandicæ & Selandicæ utilitatem præstet, docet Mercator in Atlante Belg. ubi addit: piscis Salmonis in Hollandiâ & Selandiâ tantam sale condiri copiam, ut collectum in caput fœnus annuum 200000 coronatorum excedere cedatur. Certè memorant haleces circa Scioniam, è quorum captura Rex Daniæ maximos proventus habuit, inde migrare Hollandiam versus. Commercia opulentissima in fœderati Belgii opulentissimis provinciis, quo ore efferam aut stilo? Paucis ea indigetabo saltem, cùm copiam omnis eloquentiæ frustrentur. Ignota antea negotiandi commercia Unitarum Provinciarum auspiciis primùm cœpta, novorumq; itinerum ad Chinas & Molucas aperiendorum pericula atq; expeditiones susceptæ sunt: & postremum rectâ & usitatâ per Atlanticum mare velificatione ad ipsos Orientis Indos enavigatum: eaque cum incolis ac Regibus earum regionum inchoata, ac novis successibus stabilita fœdera sunt, quæ nunc in maximum omnium Vnitarum Proviciarum usum cedunt. Sed hæc è suo Pont. quæque loco per annorum succedentium seriem, veluti in areolas digesta, intelligentur. Baudius memorat Hollandos classibus omni apparatu virorum armorumque, & commeatu munitissimis negotiari cum auroræ populis, unde ignota vis aromatum aliarumque mercium devehatur. Navigare ad eam Indiam, quæ spectat occasum Solem, ad fretum Gaditanum, ad oras Barbariæ, circa mare Mediterraneum, ad Insulas, quæ fortunatæ appellantur, &c. Hinc tanta navium copia, quid in Republ. commodi provehere possit, non est incerto. Idem literis consecravit, tempore induciarum peragendarum, societatem mercatorum, qui commercia exercent cum Indis ad Orientem sitis, habuisse naves quadringenta bellico apparatu, omnique ad victum annonâ instructissimas, quarum unaquæq; æstimabatur 25 millium aureorum, inerat-

que magnavis æneorum tormentorum, virique nautiacrum rerum experientisſimi, laborum tolerantes, & ſummi periculorum contemptores, ubi ſpes lucri adfulſerit, ad 5. millia. Guinea tellus abundans auri metallo, plerumque frequentatur appulſu 20. navium, quibus nihil deeſt, quod ad belli & itineris uſum requiratur. Tum quæ ad Inſulam ſancti Dominici, tum quæ ad Cubam, aliasque navigant. Ita Reſpublica ob tantum etiam apparatum Regi Hiſpaniarum formidabilis meritò dicitur, quam rectè dixerim, exemplo Venetorum, maris dominium ſibi deſpondere. Ioſephi Scaligeri de iſtis miraculis terræ Hollandicæ elegans Epigramma eſt in hunc ſenſum:

Ignorata tuæ referam miracula terræ
Douſa, peregrinis non habitura fidem:
Omnia lanitium hîc laſſat textrina Minervæ:
Lanigeras tamen hinc ſcimus abeſſe greges:
Non capiunt operas fabriles oppida veſtra:
Nulla fabris tamen hæc ligna miniſtrat humus.
Horrea triticeæ rumpunt hîc frugis acervi:
Paſcuus hic tamen eſt, non Cerialis ager.
Hîc numeroſa meri ſtipantur dolia cellis:
Quæ vineta colat nulla putator habet.
Hîc nulla aut certè ſeges eſt rariſſima lini,
Lanifici tamen eſt copia major ubi
Hîc mediis habitamus aquis: quis credere poſſit
Et tamen hîc nullæ, Douſa, bibuntur aquæ.

Sic cùm bella Fœderati Belgii provinciæ ducere poſſint perennibus ærarii fontibus, fundata certè & ſtabilita eſt Reipubl. magnitudo, quam potentisſimus Hiſpaniarum Monarcha convellere non potuit hactenus, neq; unquam, Deo cauſam Reipubl. agente, convellet. Et gentis ingenium tale eſt, ut ſit bellicoſisſima & pugnacisſima, poſtquam bello Hiſpanus eam exercuit, quod ne fieret, Carolus V. Philippo ſuo conſuluit. Verè dixit Lipſius ille, cùm nondum animus illius auri Indici veneficio corruptus eſſet: Europæ libertas corruit, ſi ſemel hoc vallum. Vero utique verbo, nam pax gentium & publica libertas incolumitate illuſtrium harum Provinciarum firmatur. De Belgis bello nobilibus vide etiam Meter. in hi-

in historia Belgicâ. Parum feliciter etiam bella gerit Rex Hispaniarum adversus Vnitas Proviucias, licet amplitudine tractuque immenso terrarum omnium Regum facile Princeps sit, cùm regnorum, quæ obtinet, nimis vastum & ingens corpus sit, diffusum in varias partes, locisque sejunctas, ut se toto uti non possit. In his cõfœderatis Belgii Provinciis, quomodo orphanorum, pupillorum, pauperum domi sedentium ratio habeatur, nosocomia, ptochodochia, gerontocomia, ergasteria marium (Zuchthäuser) ergasteria fœminarum (Spinhäuser) laudatissimo exmplo instituta sint, & tota Politia administretur, legatur attentiùs & diligentius rerum & urbis Amstelodamensium historia, in quâ Hollandiæ primùm, atque inde Amstelandiæ, oppidique natales, exordia, progressus, privilegia, statuta, eventaque mirabilia, cum novis urbis incrementis commerciisque ac navigationibus longinquis, aliaque ad Politiam spectantia, additis suo loco tabulis æri incisis, adhæc usque tempora, observatâ annorum serie accurate omnia deducuntur, auctore Ioh. Isacio Pontano. Liber totius Politiæ in fœderati Belgii Provinciis idea esse potest. Illud hîc addo, permitti hîc interdum Comœdias & ejusmodi spectacula publicè exhiberi, sed ita, ut cùm Quæstor Comœdorum stans ab una parte pecuniam pro Comœdis recipit, alius aliquis nomine Reipubl. stet alterâ parte qui ab iisdem spectatoribus pecuniam accipiat pro pauperibus, ut simul hac ratione curiosis hominibus indulgeatur, & publicæ rei inserviatur. Clarissimas Academias Provinciæ hæ ipsæ stupendâ laude erexerunt, Lugduno Batava inter tubas, galeas & enses, inter impetus hostiles, & conflictus cruentissimos, inter ipsa libertatis discrimina cœpit. Ejus historia & Icones publicè extant. Franekeranam & Gröningam quoque studiis devoverunt. Illustres alias scholas hîc prætereo, in quas maximi sumptus fiunt. Macte illustres Provinciæ, pretia & præmia studiis ponite, conferte. Reipublicæ lectissima ingenia dabitis, aliis in ineptis hominibus omnis rei summam præposterè ponentibus. Hæc Reipublicæ forma & magnitudo, cùm omnibus numeris stabilita fundataque sit, Regem Hispaniarum longè lateque dominum commovit, ut prior tentaret vias pacis cendi fœderis cum populo, quem olim juri suo subjectum, & ad omnia legitima obsequia paratissimum habuisset, ut, inquam, cum suis olim subditis æquo jure paciſci non adſper-

mare-

naretur. Videbat enim immensas opes nequidquam absumtas, nec aliud effectum sæviendo in cives ingenuos, quàm ut populus antea quietis amantissimus diuturno armorum usu vires suas intelligeret, quod est imperitantibus maximè formidolosum. Et periti rerum, & qui veræ gloriæ gustum habent, in argumentum Batavicæ magnitudinis interpretantur, quòd maximis rebus gestis, ipse Dux militiæ Ambrosius Spinola ex Imperatore factus esset Orator, & pacem petere non dedignaretur. Domin. Baud. l. 2. de induc. qui totam historiam Belgicarum induciarum, more majorum, & exemplo probatissimi cujusque scriptoris tribus libris complexus est.

CAPVT XXIX.
DE
TURCA.

TUrca comprehendit suo Imperio præcipuas trium orbis terræ partium regiones; habet enim in Europa totam maris oram, quæ à finibus Epidauri, (quæ Ragusia hodie) ad fauces Tanais usque excurrit: tum quidquid inter Budam & Constantinopolim, & à Ponto Euxino ad Savum usque interiacet. Eo spacio comprehenditur melior Hungariæ pars, tota Bosnia, Servia, Bulgaria, Macedonia, Epirus, Græcia, Peloponnesus, Thracia, Archipelagus cum suis Insulis. Tenet in Asia & Africa id omne, quod ab oppido Belis dela Gomera, ad Alexandriam Ægyptij à Bugia ad Guargalam, ab Alexandria ad civitatem Sienem & ab Heroum civitate (quam nunc Suez appellant) ad Suachenusque continetur. Imperii hujus magnitudo intelligi potest ex amplitudine aliquarum ejus partium. Palus Mæotis (quæ tota est Imperii Turcici) mille milliaribus in orbem patet. Pontus Euxinus bismille septingentis milliaribus ambitur. Vniversum Maris Mediterranei (quod ei subditum) littus, continet in circuitu octo milliariorum millia. Ægyptus quæ tota sua est, quingentis milliaribus longior æstimatur. A Taurisio, iter in suo facit Budam usque, per ter mille & ducenta milliaria. Tantundem spacii est à Derbento ad mare Caspium, Adenam ad Sinum Arabicum usque, à Balsera, ad Sinum Persicum, Tremisenam in Barbaria paulo minus quam quatuor milliariorum millia numerantur. In

mari

mari nobiliſſimas inſulas Cyprum, Eubœam, Rhodum, Samum, Chium, Lesbum & alias in Archipelago ſparſas ſub imperio habet. Hoc ſpacio continentur regiones maximæ, & annona abundantes. Quæ terra enim frugibus ditior Ægypto, Africa, Syria, Aſia eſt? Quæ opulentior omnique bono affluentior Hungaria, Græcia, Thracia. In his ditionibus habet Turca quatuor civitates maximarum divitiarum, Conſtantinopolim, Alkayrum, Alepum, Tauriſium. Conſtantinopolis omnes Europæ civitates, populi frequentia, ſuperat; æſtimatur enim in ea plus quàm ſeptingenta hominum millia eſſe, quod ſi ita eſt, duas fere Pariſiorum Lutetias æquaret. Alepum eſt maxima Syriæ civitas, & quaſi centrum, quo mercimonia Aſiæ confluunt. Tauriſium maxima Imperii Perſarum (quibus noſtro ævo erepta eſt) civitas, habet plusquam ducenta hominum millia. Alkayrum, inter omnes Africæ urbes principatum obtinet, non enim ulla alia eſt, quam non longo intervallo poſt ſe relinquat: tamen alii Cano urbem, ei magnitudine parem faciunt. Alkayrum quaſi horreum: non ſolum Ægypti, magnæq; partis Africæ; ſed & Indiæ eſt, cujus theſauri in mare rubrum, deindeque dorſis camelorum, Alkayrum devecti, diſtribuuntur per regiones, quas mare meditertaneum alluit. Imperium Turcicum à parvis initiis, in magnitudinem Principibus Chriſtianis extimeſcendam excrevit per arma, quibus noſtræ diſcordiæ ipſis percommodæ, utilesq; fuerunt, anſamq; præbuerunt. Artes bellicæ Turcarum fuere, ſemper paratum inſtructumque eſſe ad offendendum, & præveniendum hoſtem, uti in expeditionibus celeritate admirabili, habere vires in promptu, & quaſi ad manum, uno tempore plura non tentare, non diu cum aliquo belligerare, ne in armis exercitetur, non conſumere tempus & pecunias inexpeditionibus parvi momenti, non in omnia ſimul in volare ſed ſingula acquirere, quaſi per ſaltum, è pedetentim. Multum quoque profuit, quod Principes maximæ expeditionum parti præfuere. Aliis quoque artibus uſi ſunt Turcæ, quibus trecentorum annorum ſpacio domus Ottomannica ſibi maximorum regnorum dominium paravit, idque ab anno 1500 ad hoc tempus usque, fere duplicavit. Ottomanorum regimen eſt plane deſpoticum. Magnus enim Turca adeo ab ſolute dominus rerum omnium intra fines ſui dominii contentarum eſt, ut incolæ ſe ſua mancipia, non ſubditos nuncupent. Nec ſui quiſquam juris eſt, multoque minus domus, quam inhabitat; aut

terræ quam colit, dominus eſt, exceptis aliquibus familiis, in Conſtantinopoli, quibus præmii loco, & privilegio id conceſſum à Mahumete II. fuit. Nec aliquis adeo magnus eſt, ut de vita, non dico de fortunis, aut ſtatu, in quò eſt, ſecurus ſit, niſi quam diu Magno Domino id gratum eſt. In hoc adeo pleno dominio, conſervat ſe Turca duobus mediis: auferendo nempe ſubditis arma & ponendo omnia in manu apoſtatarum, quos in ipſorum pueritia, tanquam decimas accipit. Hac arte duo bona conſequitur: primum eſt, quod provincias flore nervoque virorum ſpoliat ex anibus deliguntur juvenes robuſtiores, armisque aptiores. Alterum, quod his ſeipſum armat, ſecurumque facit: Janizari enim è gremio parentum, in pueritia erepti, hujusq; aut illius curæ traditi, prius quàm id advertant, evadunt Mahumetani, nec amplius patrem aut matrem agnoſcentes dependent prorſus à Magno domino, qui eos paſcit fovetq;: expectant itaq; ab eo omnia, illaq; acceptum illi ferunt. Turcæ robur conſiſtit in equitatu, pediratu, claſſibus, commeatu, pecuniis. Quod ad pecunias attinet, communi opinione receptum eſt, ipſum plus minus octo milliones áureorum ordinarii reditus habere. Etſi autem videri poſſit, ipſum ex adeo amplo Imperio multo ampliores reditus percipere poſſe, id tamen non fit, quod Turcæ nihil aliud animo habeant, nec alterius rei curam gerant quam armorum, quæ ſua natura ad excindendum deſtruendumque, quàm ad conſervandum ditandumque provincias aptiora ſunt. Turcæ quoque, ut exercitus conſervent, ſuasq; expeditiones contineant, ita ſpoliant populos, ut vix ipſorum ſuſtentationi neceſſaria eis relinquant: ſubditi itaque deſperantes ſe commoditatibus, multo minus opibus (quas labore induſtriaque ſibi parare poſſent) fruituros, agriculturæ commercioque ulterius non incumbunt, quàm eis opus eſt, imo quàm ipſa neceſſitas flagitat. Quid enim prodeſſet ſementem facere quàm alius meteret? Metere, quod alius abſumpturus eſſet? Itaque in ditionibus domus Ottomanicæ viſuntur ſylvæ immenſæ; omnia ubique vaſta, pauciſſimæ civitates populo frequentes; potiſſimaque agrorum pars deſerta jacet. In noſtris regionibus ex populi frequentia oritur annonæ caritas, in Turcia autem ex hominum penuria. Maxima ruſticorum pars moritur ducendo commeatum aliasque res neceſſarias, in itineribus quoque, per quæ tendunt exercitus: in claſſibus etiam, nam ex decem remigum millibus, qui de domo ſua re-

vellun-

velluntur, ut plurimum non revertitur quarta pars. Pereunt incommoditatibus, mutationibus aëris, laboribus, idque tanto plus accidit, quod quum Turcæ classes hyeme semper exarment, itaque remiges epibatæque nunquam mari ejusq; incommodis assuescunt. Mercatura deinde, omneq; fere commercium est in manibus Iudæorum aut Christianorum Europæ, Epidauriorum, Venetorum, Francorum, Anglorum. In tanta ditione, quantam Turcæ in Europa habent, non est alia mercimoniis celebris civitas præter Constantinopolim, Capham, & Thessalonicam. In Asia, quam Alepum, Damascus, Tripolis, Adena. In Africa Alkayrum, Alexandria, Algerium. Reditus suppeditat agricultura, eadem artificiis materiam præbet. Artificia mercaturam instruunt: deficiente autem agricultura deficiunt omnia. Etsi autem ordinarii Turcæ reditus eo, quod diximus, majores non sint, extraordinarii tamen magni faciendi sunt, præcipue confiscationes & donativa. Bassæ enim aliiq; ministri Turcæ exsugunt tanquam harpyæ sanguinem subditorum, accumulantq; thesauros inæstimabiles, qui, ut plurimum, fisco Magnidomini cedunt. Existimatur Abrahimum Bassam, Alkayro avexisse valorem sex millionum, multo majorem summam habebat Mahumetes Visit. Occhiali, præter alias divitias mancipiorum millia possidebat. Sultana soror Selimi II. percipiebat quolibet die bis mille & quingentos *Zecchinos*, incepitq; ad peregrinorum commoditatem aquæductum ab Alcayro Mecam usque (opus profecto immensum). Magnodomino facile est occasionem arripere, ut cuivis pro libito vitam cum bonis auferat. Donaria ad magnam summam accedunt: nemo enim legatus, coram ipso comparere potest absqne donis, nemo aliquod munus, aut dignitatem momentosam speret, nisi pecunia adsit: nullus à provincia cui præfuit, aut ab expeditione quam confecit, vacuis manibus in conspectum tanti Principis venit, nec tàm potenti Principi dantur teruncii. Vaivode Moldaviæ VValachiæ, Transilvaniæ, conservant se in suis Principatibus vidonatinorum, mutanturq; quotidie Vaivodæ VValachiæ & Moldaviæ: dantur enim Principatus plus offerentibus, qui ut præstent quod obtulerunt, opprimunt populos, rediguntq; ad inopiam provincias. Nihilominus vidimus bellum Persicum exhausisse Turcæ æraria, & ejus thesauros consumpsisse. Annis postremo elapsis tum Constantinopoli, tum per omne Imperium Turcicum

crevit ſupra quàm credi poteſt, precium auri, ita ut aureus duplo plus quàm prius valuerit, materiaq; auri argentiq; adulterata adeo fuit, ut Ianizaris occaſionem dederit ignem civitati Conſtantinopolitanæ injiciendi, pavoremq; Magnodomino, non ſolum aliis, incutiendi præbuerit. In urbe Alepo, mutuum 60 millium aureorum nomine Magnidomini à mercatoribus petitum fuit. Quamvis autem Turcæ reditus non tàm magni ſunt, quàm amplitudo Imperii & regionem fertilitas exigere videri poſſet, habet tamen in ſua ditione fructum majoris valoris quàm ſunt ipſi reditus, nempe multitudinem Timarrorum, vel Feudorum: vendicant enim ſibi Principes Ottomani agros, quos bello hoſtibus auferunt, prioribusque dominis talem partem, (exiguam aut nullam) prout ipſis viſum eſt relinquentes, reliquum in Timarra, quæ ſunt tanquam Commendæ repartiuntur, aut dant agros bene meritis militibus dum vivunt, ea lege atq; conditione, ut aliquot equos in belli uſus paratos alant. In eo ſita eſt omnis prudentia Turcarum, & cura quam de conſervando Imperio habent; niſi enim hac ratione militibus, telluris colendæ, propter utilitatem, quam ex eâ ſperant, cura demandaretur, omnia vaſta jacerent: ipſimet Turcæ ſolent dicere, quod ubi Magnidomini equus pedem ponit, ibidem amplius herba non creſcat; his Timarris 250 millia equitum parata tenet, qui armis probe inſtructi, eo tendunt quo Princeps jubet, nec ipſe vel teruncium expendit. Tàm magnus equitatus, minoris 14 aureorum millionibus nutriri non poſſet. Mirandum itaque, quod aliqui reditus Turcarum cum Chriſtianorum reditibus conferentes, tanti membri opum Ottomanicarum nullam faciunt mentionem. Fertur Turcam, bello quod cum Perſa geſſit, tantum ſibi terræ ſubjeciſſe, ut 40 Timarrorum millia erexerit, inſtitueritq; novum Gazophylacium Tauriſii, unde aureorum millio ad ipſum redit. Inſtitutio Timarrorum & delectus Azomoglanorum (ita vocant juvenes qui educantur ut fiant Ianizari) ſunt duo præcipua columina imperii Turcici. Vtrumque ad imitationem Romanorum inſtitutum videtur: Romani enim Imperatores utebantur ſuis ſubditis ad bella, conſtabatq; ex iis exercitus prætorianus, qui nunquam ab Imperatoris latere diſcedebat. Tacitus docet ſelectionem juvenum, quæ ad hunc finem fiebat, Batavis rebellandi occaſionem dediſſe. In Imperio Romano dabantur Timarra militibus in uſumfructum, & in compenſatio-

nem

nem bene & fortiter factorum, dicebanturq; Beneficia, & qui iis fruebantur beneficiarii. Alexander Severus concessit heredibus militum, ut iis beneficiis frui possent, ea tamen conditione, ut militarent, alias non. Constantinus Magnus, dedit suis Capitaneis de se bene meritis, hereditarios agros, qui hactenus vita tenus tantum concedebantur. Feuda in Francia, ex temporariis perpetua facta sunt regnantibus ultimis Regibus Carolovingiis. Dictus equitatus Turcicus, duos effectus valde egregios in Imperio Turcico facit: unus est quod subditos tanquam freno ita coercet, ut non tàm cito se movere possent, quin hos sicut tot falcones, in cervicibus haberent: sunt enim in hoc per totum imperium divisi. Alius effectus est, quod una eorum pars (dum altera ad continendos retinendosq; in officio populos domi manet) semper ad eas quæ occurrunt expeditiones parata est. Est igitur pro præsidio Imperii, ad coercendos tumultus qui oriri possent, & pro præcipuo belli nervo. Præter eum equitatum habet Turca penes se bonum equitum numerum, quibus stipendia pendit, ij in Spachi, Vlufagi, Caripici dividuntur, suntq; tanquam seminaria ministrorum & Præfectorum Imperii. Inde enim ordinarii sumuntur Bassæ, Beglerbegi, Sangiaci. Præter hos sunt Aicanzi & auxiliarii Tartari, VValachi, Moldavi. Altera virium pars est peditatus qui in Ianizaris consistit: in iis duo considerantur, nempe natio & specialis dexteritas in armis. Quod ad nationem attinet ordinarie non inscribuntur albo Ianizarorum ex Asia oriundi, sed ex Europa. Habet enim illos pro mollioribus, sicut semper fuere, magis pronos ad fugiendum, quàm ad strenue pugnandum; Europæ populi autem semper pro bellatoribus pugnacibusq; habiti fuere. In Oriente Asiatici milites Turcæ, nomine nationis Turcæ vocantur: Europæi autem dicuntur Rumi, id est Romani. Quod ad dexteritatem attinet, seliguntur pueri, in quibus majora indicia roboris, agilitatis & audaciæ apparent: hæ enim tres qualitates in milite requiruntur. Delectus quoquo tertio anno fit, nisi necessitas eum citius fieri urgeat, sicut bello Persico accidit, quo bello, non solum frequentior delectus habitus est, sed etiam Azamoglanis Turcicis usi sunt, quod nunquam antea fieri solitum erat. Quum ij juvenes Constantinopolim adducti sunt, instrantur ab Aga, qui nomen juvenis, quo patre & ex qua patria sit in tabulas refert. Eorum deinde pars in Asiam Minorem (nunc

Natolia dicitur) & in alias Provincias mittitur, ubi linguam & legem addiſcendo, imbuuntur vitiis & moribus eorum, cum quibus degunt, evaduntque id non animadvertentes Mahumetani. Alia pars diſtribuitur per Septa (quæ Turcæ Seraglia vocant) quæ Magnus Dominus Conſtantinopoli & Peræ habet: aſpectu pulchriores meliusq; compoſiti deſtinantur Conſepto Magni Principis. Toto eo tempore quo ij juvenes Azomogliani vocantur, non habent certum Præfectum, nec occupantur præſcriptis exercitiis, ſed hic operam navat colendis hortis, ille fabricis, alius ſerviciis domeſticis ſimilibusque aliis rebus. Poſt certum tempus revocantur in Conſepta Azomoglianorum (ita vocantur toto tempore donec albo Ianizarorum inſcribantur) traduntur q; Præfectis, qui eos operis manuariis laboribusque exercent, habenturque ſatis male quo ad victum amictumque: dormiunt in ſpacioſis ædificiis, dormitoriis Religioſorum ſimilibus, in quibus luminaria ardentia cuſtodesque ſunt, ſine quorum permiſſione ſe loco movere non debent. Arcu ſclopetoque ferire diſcunt, cumque in exercitio aliquem habent uſum, adſcribuntur numero Ianizarorum aut Spachorum: illi non minus quàm quinque, nec amplius quàm octo Aſperos (monetæ genus eſt) percipiunt; hi decem. In album Ianizarorum adſcripti, in bella, aut in præſidia eunt, aut manent ad portam: hi ultimi habent pro ſua habitatione tria loca amplisſima, ſicut monaſteria. Vivunt ibidem ſub ſuis Præfectis claſis, minoresq; inſerviunt majoribus in expendendo, coquendo ſimiliaque miniſteria obeundo cum magna obedientia & ſilentio. Qui unius claſis ſunt, vivunt in commuui ad unam menſam, dormiunt in atriis longisſimis. Si aliquis per occaſionem absque venia foris pernoctaſſet, ſequenti veſpera egregie vapulat tanta cum diſciplina, ut poſteaquam vapulavit ſimiarum more manus ſui Præfecti deoſculentur. Gaudent Ianizari multis privilegiis, honorantur quamvis ſint inſolentiores timenturque ab omnibus: in profectionibus aut itineribus deprædantur caſas & domos Chriſtianorum, nec vel verbo contra mutire licet, dum quid emunt, precium pro libito rebus dicunt, à nullo quàm ab Aga judicari poſſunt, nec plectuntur extremo ſupplicio citra periculum ſeditionis, ideoque id raro & valde ſecreto fit. Mille Regalia habent: aliqui ex eorum numero adjunguntur Legatis cuſtodiendis, alii dantur peregre proficiſcentibus, maxime cum ſunt honeſtæ conditionis,

rionis, ut ſicuti ſint in ditione Turcica, recipiuntque Ianizari bonas Strenas, eorum eſt electio Principis; niſi enim ipſi Magnum dominum approbent aut proclament, creatus eſſe dici non poteſt. Unusquisque Princeps adeptus Imperium dat eis aliquod Donativum, augetq; ſtipendium. In gravi bello egreditur eorum pars cum ipſorum Aga aut ſuo Legato, ultimique omnium confligunt. Apud Turcas munus cui plures invideant non eſt quàm Agæ: ipſe & Beglerbegus Græciæ ſoli non eligunt legatos, ſed Magnus Dominus nominat eos. Agæ Ianizarorum nihil certiori exitio eſſe poteſt quàm eximius Ianizarorum favor. Numerus Ianizarorum eſt à duodecim ad quatuor ſupra millia. Hæc militia noſtro tempore multum evaluit, quia etiam Turcæ in Ianizaros aſſumuntur, ſicut & Aſiatici, quum primum non alii quàm Chriſtiani Europæ admitterentur. Deinde quia uxores ducunt, præter antiquum morem, nec id ipſis vetitum eſt: propter longam moram quam Conſtantinopoli, (qua non alia urbs magis eſt deliciis dedita) multum viluerunt ſegniores inſolentes, immo intolerabiles evaſerunt. Dicitur communiter robur Turcicum conſiſtere in hac militia Ianizarorum: ſed alibi oſtenſum eſt hoc eſſe falſiſſimum. Præter Ianizaros habet Magnus dominus Azappos peditatum vilem qui plus ligone quàm enſe utitur, magisque ad hoſtes multitudine delaſſandos, quam ad eos virtute ſuperandos, conducit, ſolentque Ianizari Azapporum cadaveribus foſſas implere, iisque uti pro ſcalis quibus hoſtium muros ſcandunt. Sicut autem Romani habebant milites legionarios & auxiliarios (quorum illi præcipui, nervi ſuæ militiæ, hi autem velut additamen vel auctarium erant) ita & Turca equitatum, quem ſtipendiarium habet, & Timariottas pro robore exercitus æſtimat: Alcanzos pro accidentali: Ianizaros tanquam Legionem prætoriam, Azappos tanquam numerum ducit. Sed tempus eſt ut duo verba de armatura navali dicamus. Primo non eſt Princeps, qui majorem oportunitatem habeat inſtruendi claſſes quam Turca, ſylvæ enim Epiri & Ciliciæ, ſed plus aliis Nicomediæ & Arapezuntinæ tàm magnæ ac denſæ ſunt, plenæque altis arboribus fabricandis omnis generis navibus aptiſſimis, ut creditu difficile ſit. Imo videntur triremes quaſi jam fabricatæ ſponte de ſylvis Nicomediæ in Pontum Euxinum cadere. Nec deſunt fabri ad copiam illam lignorum elaborandam: avaritia enim trahit

in

in ſua armentaria, etiam fabros Chriſtianos. Anno ſequenti, poſt illam cladem quam ad Echinadas acceperat, eduxit claſſem, quæ noſtræ occurrere verita non eſt. Nec unquam Turcæ, bonus numerus hominum mari expertorum defuit; ex triremibus enim, quas pro cuſtodia in Lesbo, Rhodo, Cypro Alexandria habet, & quod ſuis pourtbus Tuneti, Bugiæ & Algieræ piratas recipit, poteſt ex iis dum opus eſt, Capitaneos & robur miniſtrorum nautarum & remigum ſuis claſſibus eligere. Quid præſtare poſſit, viſum eſt noſtro tempore in claſſibus quas habuit ad Meliten, ad Echinadas & ad Guletam. Habet præterea apparatuum bellicorum maximam copiam: tormenta innumera ſunt. Ex Hungaria abduxit quinque tormentorum bellicorum millia: quingenta eorum acquiſivit in Cypro: Guletæ paulo minus. Turcis ſunt tormenta adeo immenſæ magnitudinis, ut ſtrepitus, non ictus tantum muros demoliatur: tantum commeatus, pulveris pyrii & globorum habent, quantum ad Meliten oſtenderunt, ubi exploſa ſunt plus quam 60 globorum millia: Famaguſtæ 118 millia: Guletæ 39 dierum ſpacio furore impetuq; tormentorum demoliti ſunt fortificationes â noſtris 40 annorum ſpacio factas. Ultimo bello Perſico, ducebat Oſmanus generalis Turcarum quingenta tormenta campeſtria. Quatiunt mœnia munitionum tot tormentis, continuantque tanto tempore tantaq; cum vehementia, ut omnia ſolo æquent. Ubi vim non faciunt tormenta utuntur bipennibus, ubi hæ locum non habent, implent foſſas ligone & Batillo: ſi nec hoc ſufficit, implent eas cadaveribus ſuorum militum. Tria habent Turcæ quæ neminem non terrent: multitudinem hominum inſuperabilem, diſciplinam militarem imperturabilem, commeatuum copiam infinitam. Multitudo ſuæ natura parere confuſionem ſolet, & ordinarie ceſſere magni exercitus parvis. Sed multitudo frequentiaque virorum in exercitibus Turcicis tanto cum ordine graditur, ut & ſolo ordine minorem ſuperet, qui tamen facilius in ordinem diſponi poteſt, quàm exercitus immodicus, ita ut & numero & arte vincant Turcæ. Eorum diſciplina militaris adeo probe ordinata eſt, ut ea in re ne Romanis quidem, nedum aliis cedant. Conſiſtit autem eorum diſciplina militaris in pluribus rebus: in parſimonia, ſuſtentant enim ſe modico panis ſub cineribus cocti, & oryza cum pulvere carnis ad ſolem deſiccatæ. Prohibentur vino, ſicut quondam

Carthaginenſes: decem Turcæ habent in caſtris unum Decurionem, cui ſine refragatione obtemperant, in ipſorum caſtris nec unam fœminam videre eſt: eſt ibi ſilentium mirabile. Tot enim milites reguntur ſignis manuum & vultus, citra verba: ne noctu ſtrepitum faciant, patiuntur aliquando effugere captivos: in primis puniunt rixas & furta. Quando progrediuntur exercitus, non audent excurrere in vineas aut agros: contemnunt mortem, creduntque eam fato inevitabile contingere. Strenuos præmia, ignavos certa pœna manet, nunquam diſponuntur per urbes, nec iis conceditur in iis pernoctare. Ut exercitati ſint milites, ſolent Principes Ottomani fere ſemper alicubi belligerari, ut diſciplina militaris non intermittatur. Quum autem diſciplina militaris armis apparatuque bellico deſtituta nihil ſit, gigas enim quantumvis ferox, ſed inermis, à puero armato vinci poſſet. Turca in bella tendit, tanta cum machinarum & inſtrumentorum bellicorum apparatu, eorumque omnium, quæ eorum tractationi uſuique neceſſaria ſunt, ut nullius alterius rei curam habere videatur. Id cognoſcet is, qui ruinas conſiderabit, quas eorum vires fecere, ubi eas explicuerunt. Turcæ ad ortum contermini ſunt Perſis, ſecundum lineam, quæ imaginarie duci debet è Tauriſio ad Balſaram usque, Luſitanis ad Sinum Perſicum, ad Meridiem eisdem Luſitanis, ad mare rubrum Presbytero Johanni, ad occaſum Seriffo, & regno Neapolitano, ad Septentriones Polonis & Familiæ Auſtriacæ. Cum Perſis belligerando absque dubio Magnus Turca ſuperior eſt; Mahumetes II. enim vicit Uſſucaſſanum: Selimus I. & deinde Solimanus ejus filius in fugam egerunt Iſmaelem & Tamaſum, Amurates III per ſuos Capitaneos abſtulit Perſis totam Mediam, Armeniam majorem, & civitatem Regiam Tauriſium. Quod prævalet conſiſtit in peditatu, quo Perſa caret: in tormentis bellicis & munitionibus, quorum perſa nec copiam nec uſum habet. Quamvis autem Perſæ ſtrenuitate equitatus aliquando aperto campo Turcas ſuperaverint; tamen ſemper terram perdiderunt: Solimanus abſtulit eis Meſopotamiam, Amurathes Mediam. Nec Perſæ ſolum damnum paſſi ſunt, amiſeruntque ſua, ſed & eorum ſocii. Selimus I. ſpoliavit Mamaluchos Ægypto & Syria: Amurathes III. deſtruxit prope in totum Georgianos confœderatos Sophi. Turca cum Luſitanis belligerando multo inferior eſt, rationes enim cum ipſis

decertandi consistunt in viribus navalibus, quibus Lusitani in tantum Turca superiores sunt, quantum Oceanus Indicus, Sinu Persico, & mari rubro major est. Habent Lusitani in india loca & portus, addam ditiones & dominia, ligno, commeatu, omnique apparatu nautico referta. Nec desunt eis potentes Principes auxiliares. E contrario Turca nihil munitum habet in Sinu Persico præter Balseram. Ora Arabiæ, qua uti posset, non habet plus quam quatuor oppida, satis infirma, & parvæ æstimationis: itaque hic, sicut & in mari rubro classem armare valde difficile est, quod regio, prorsus ligno fabricandis navibus idoneo, careat. Unde illis paucis vicibus, quibus classes in mari rubro instruxit (quum hoc in Sinu Persico minus facere possit) necesse habuit materiam fabricandis navibus ex portubus Bythiniæ & Ciliciæ per Nilum Alkayrum devehere, unde dorsis Camelorum Svez (quæ olim Heroum civitas dicta fuit) delata est, ubi armamentarium habet. Quoties Turca expeditiones adversus Lusitanos suscepit, nihil præter dedecus & damnum retulit, nimirum anno 1538. ad civitatem Dium: anno 1552. ad insulam Armuzium: anno 1580 ad Mombazam, ubi quatuor triremes & una Galeotta Turcica, quæ favore Regis Mombazæ eo in mari manere constituerant, captæ fuerunt, Lusitani in id summe incumbunt, c aventq;, ne Turcæ eo in mari pedem figant, & quàm primum odorati sunt, Turcas classem adornare, mox ipsos aggrediuntur, ideoque sæpe in mare rubrum absque resistentia penetrarunt. Presbytero Ioanni in bello prævalet Turca, ducibus, militibus, armis & munitionibus. Ille siquidem Princeps, habet ditionem absque munitionibur, & milites absque armis. Barnagasso enim ejus Vicarius ad mare rubrum, amisit universam oram maritimam, eoque redactus est, ut tributum Turcæ pendere promiserit, ut cum eo pacem haberet: In Africa habet quidem Turca plures regiones quàm Seriffus; occupat enim id omne, quod inter mare rubrum, & Velez de la Gometa oppidum est, sed Seriffus partem meliorem, ditiorem, fortioremque magisque unitam habet. Sed nemo ipsorum alteri bellum inferre audet propter Regis Catholici vicinitatem. Residui sunt principes Christiani, qui Turcis contermini sunt: Primus est Poloniæ Rex: quid hi Principes contra se invicem possint, visum fuit in expeditionibus præteritis, ab una parte videtur Turca timere arma Polonica: diversis enim occasionibus provocatus,

nem

nempe regnante Henrico III. bello quod Ivonia, Vaivoda Valachiæ cum Turcis gessit, quo bello multi equites Poloni Ivoniæ militarunt, & regnante Sigismundo III. excursionibus Kosacorum, & in motu Iohannis Zamoischi generalis regni Poloniæ, non vindicavit, nec solita superbia ulcisci injurias conatus est. Ab alia parte Poloni post expeditionem Regis Ladislai, non solum nullam expeditionem adversus Turcas susceperunt, sed nec Valachis, (qui fœdere eis junCti erant) auxilium tulerunt, sibique quod ad mare Euxinum habebant, eripi passi sunt; sed Regnum Poloniæ potius, quàm nobilium ejus regni pusillanimitate id accidit. Sigismundus I. à Leone X. ad bellum adversus Turcas invitatus, quid multis opus est dixit, fac Principes Christiani concordes sint, ego pro mea parte non deero. Sigismundus II. mente à bello adeo aliena fuit, ut non solum Turcas aggressus non fuerit, sed nec à Moscis irritatus, vindictam sumere tentarit. Rex Stephanus potentiæ suorum vicinorum non iniquus æstimator, judicabat cum Turca manus conferere, rem esse periculosissimam: attamen cum familiaribus sermones habens, dicebat se, cum 30 peditum millibus quos equitatui Polonico jungeret, facile expeditionem in Turcam suscepturum fuisse, idque meditari quodammodo videbatur. Principes Austriaci longiore terrarum tractu quam ullus alius Princeps Turcæ contermini sunt, expenduntque in præsidia arcium (in quibus cum equitum, tum peditum plus quam viginti millia habent) majorem suorum redituum partem, auxilioque Germanico suis viribus conjunCto magis ad defendendum sua, quàm amissa recuperandum, imperiumque dilatandum attenti fuerunt. Ferdinandus Austriacus, majore robore quàm successù, expeditionem Budanam & Possegensem suscepit. Accidit id, non quod ejus vires non satis firmæ validæque essent, sed quod agilitate dexteritateque carerent: id volo, ejus Principis exercitus numerosos, omnibusque rebus probe quidem instructos fuisse, sed constitisse ex Germanis & Bohemis, gentibus tardis, lentis, parumque idoneis ad resistendum Turcis, qui in factionibus bellicis expediti, dextrique sunt. Veneti sunt quoque Turcis mari & terra, per multa centena milliaria finitimi: tuentur seipsos adversus Turcas magis pacis quàm belli artibus, egregie muniendo sua loca, fugiendo pericula & expensas belli, commercio, donariis: denique, nihil non faciendo, ne ad manus veniatur

tur ſalvis libertate & ſtatu. Dicam quod res eſt: quamvis eis pecunia cum bellico apparatu ſufficiente ſuppeteret, deſunt tamen milites & commeatus tanto bello pares. Reliquus eſt Rex Catholicus, inter cujus & Ottomanicas vires, non eſt magnæ æſtimationis differentia. Regis reditus (loquor de iis quos in Europa habet) excedunt reditus Turcæ: accipit enim plus quàm 4 auri milliones ex ditionibus, quas in Italia & Sicilia habet; plus quàm duos ex Luſitania; ex terris novis plus minus quàm tres milliones, unùm annum pro altero æſtimando. Hæ accepti partes æquant reditus Turcæ. Eſt autem illo longe ſuperior ſi iis jungantur ordinarii reditus Caſtiliæ, Arragoniæ, Belgii: ſed quid reperies (dicit aliquis) quod Timarris opponi poſſit? Primum, quod reditus Turcicos longè excedunt, ſuntque eis multo majores: deinde ſubſidia quæ Rex extraordinarie, immo magna ex parte ordinarie (ita enim dici poteſt) præcipit à ſuis populis, nempe Cruciata (ut vocant) quæ ipſi, quantum unius regni reditus ſunt, reddit: Subſidia Eccleſiæ, quibus ipſe centum fortes triremes ſuſtinere poteſt: Cadiva officia, quæ in Hiſpania & Regno Neapolitano multo plus reddunt quàm quis credere poſſet: donaria ordinaria populorum & extraordinaria. Regnum Neapolitanum dat quoquo tertio anno plus minus uno millione, & ducenta aureorum millia, quæ ſumma non eſt parvæ conſiderationis, Sicilia, Sardinia, ducatus Mediolanenſis, Caſtilia & aliæ ſuæ ditiones, etiam Novus Orbis, mittunt ſuis temporibus magnifica donaria. Quid dicemus de contributionibus? Caſtilia anno elapſo Regi contributionem octo millionum aureorum quatuor annis perſolvendam conceſſit, quæ ſumma, totius Imperii Turcici cenſum unius anni æquat. Relinquo numerum Commendarum ordinum Montagiæ, Calatravæ, Alcantaræ, Sancto Iacobi, quæ ipſi quamvis nihil amplius haberet, ſufficere poſſent. Rex tanquam dictorum Ordinum magnus Magiſter, media habet ad ſuos miniſtros, famulos, & quos ipſi placet, remunerandos ditandosque ac ſi Rex Angliæ ac Poloniæ eſſet. Addo ſupradictis partibus magnum equitatus numerum, quem ordinarie in ſuis ditionibus alit: in Hiſpania nempe tria millia. Tantundem Cataphractorum & equitum levis armaturæ in Belgio: in ducatu Mediolanenſi 400 Cataphractos, & mille equites levioris armaturæ: in regno Neapolitano mille & quingentos equites Cataphractos quod majus robur mili-

militiæ Italicæ eſt. Militiæ numerus in Sicilia eſt 1500 equitum. Nec parvi fieri debet obligatio, qua Feudatarii, neceſsitate urgente, ſuis expenſis, defendendo perſonaliter ſervire tenentur: maximè ſi conſideretur magnus Feudatariorum numerus & Tituloſorum Hiſpaniæ, in qua numerantur 23 Duces, 32 Marchiones, 49 Vicecomites, 7 Archiepiſcopi (contribuunt enim hi ſuam quotam, tanquam potentes domini) 33 Epiſcopi: In regno autem Neapolitano ſunt 14 Principès, 25 Duces, 37 Marchiones, 54 Comites, 448 Barones, ut nihil dicatur de Lusitania, Sicilia, Belgio, Sardinia, Mediolano. Prætermitti non debet, quod equitatus, cui Turca Timarra conceſsit, non tam robore quam numero præſtat: Timarta enim & commoditates villarum & prædiorum ipſis conceſſorum, ſtudiumq; ſeipſos ditandi locupletandiq; fructibus agrorum, ignaviores, viliores, pacisque & otii plus quàm belli & turbarum cupidos eos reddit. Ægre ab ædibus avelluntur, proficiſcunturque in expeditiones, majore cum deſiderio domum redeundi, fruendique deliciis hortorum, & fructuum ſuarum poſſeſsionum copia, quam confligendi cum hoſtibus; aut ſe ditandi ipſorum ſpoliis. Si aliquantulum prædæ armis partæ milites quamvis feroces fortesque ignavos vecordesque reddit, quid faciet magna poſſeſsio; amœna villa, dives prædium, uxor liberiq; domi relicti: taceo quod equitatus, quem Turca Timarris ſuſtentat, potius populis ſubjugatis tanquam freno coercendis conſtitutus eſt, quam hoſtibus infeſtandis; ſubditi enim Turcæ, vi ſub ejus imperio continentur, habent eum odio, deteſtanturque eum ob religionē contrariam & imperium quod in ipſo habet: propter religionem Mauri & Arabes, qui ſectis diverſis addicti ſunt: Propter religionem & imperium ſimul Chriſtiani, qui plus quàm duas tertias partes ejus ſubditorum conficiunt. Ob id, illius numeroſi equitatus major pars, domi maneat neceſſe eſt, nec ſine Status regni periculo domo abduci poteſt. Eſt deniq; is equitatus tanto regionum ſpacio hac illac diviſus, ut magno numero, in magnam expeditionem educi non poſſit: nec diu in ea, longe à domo, perſtare poteſt, quin in miſeriam & calamitatem incidat, ſi aliud auxilium, quam quod ab Timarris habet, non reciperet. Rerum præteritarum experientiam quandam æqualitatem virium horum Principum eſſe docuit; jactura enim claſſis Catholicæ ad Zerbi inſulam, opponitur fugæ claſſis Turcicæ à Me-

lite insula: Amissio Gulettæ, opponitur expugnationi Pegnoni Velez: Tunetum semper cepit is qui voluit. Rex Catholicus nullam notatu dignam expeditionem in Turcam suscepit, sed defendit se strenue ad Meliten & Oranum. Nihil dicam de clade classis Turcicæ ad Echinades, quod ibi alii Principes partem habuerint. Tractatum fuit utrinque de induciis pro aliquot annis inter Regem & Turcam. Uterque adæque fuit occupatus. Vnus in Persia, alter in Belgio, id in causa fuit, ut se invicem expeditis viribus non potuerint impetere. Bella (de quibus diximus) ambobus, propter regionum longinquitatem, extremæ impensæ fuerunt, sed magis Regi quàm Turcæ. Quamvis enim Persia longe Constantinopoli (unde maxima virium pars mittebatur) distet, est tamen contermina Mesopotamiæ & aliis Turcæ ditionibus, unde suus exercitus commeatu & pecuniis instruebatur: sed Belgium, ab aliis Regis ditionibus magno spacio distat. Turcæ, nisi cum Persa amicis destituto, res fuit. Regi autem uno eodemque tempore, cum rebellibus, Francis, Anglis & Germanis (quæ nationes Persis potentia inferiores non sunt) confligendum fuit: nec unquam Turcam aggressus est, quin aliud bellum, nunc in Belgio, nunc alia in parte continenter gesserit.

JUSTI REIFENBERG, JCti,

Ad Politiam Regiam JOHANNIS BOTERI Notæ & Recensiones novissimæ.

I. ADDENDA HISTORIA DE REGNO HVNGARIÆ.

Rex Hungariæ regnum suum administrat II. magistratuum auxilio, qui sunt: Sublimior, qui in tres magistratus dividitur, quorum primus Gubernans regnum Regis nomine, in quo sunt *Palatinus regni.* Is à Rege proximus est, & Regis ipsius sicubi accusatus, judex ordinarius existit, quem regnicolæ communi voto eligunt, nec hæreditarium est officium. *Judex Curiæ*, qui est unus ex judicibus regni ordinarius. *Cancellarius* perpetuus, qui est Metropolitanus Strigoniensis, qui & *Regni Primas*, & *Summus Secretarius* nominatur, ac prærogativam habet electum Regem inungendi, & sigillo majore privilegia munit. Arbitrio Regis assumptus, qui cæteras literas minores, & posissimùm mandata regia & in causarum distinctione datas munit, decretisque Regis subscribit. *Magister Curiæ*, Regis comitatum sequi cogitur, & ejusdem intimus Consiliarius habetur. *Tavernicorum Regalium Magister*, aurifodinarum, salinarumque, & breviter arum civitatum, pagorumque ac castrorum causas distinguit, quæunq; ad fiscum regium pertinent. II. judicia tractans, in quo officiarii tres majoris authoritatis, *vice*: *Palatinus regni*, *Iudex personalis præsentiæ*, qui & regiæ majestatis in judiciis locum tenet, & judiiis præ est: *Vice Iudex Curiæ*: Minores, qui ministeria magis judiciorum quàm magistratum exercent. *Protonotarii* duo judicis ersonalis præsentiæ. *Protonotarius* vice Palatini. *Protonotarius* ice. Iudicis Curiæ. Hi omnes Magistri appellantur, habentque in aboris consortium adjunctos hos sequentes: *Secretarium Archiiscopi Strigoniensis*, qui Fiscalis dicitur, duodecim Adsessores, Norios aliquot juratos. III. Ministrans Regi, *Thesaurarius* Regis, *Maistri cubiculorum Regalium*, *Agazonum*, *Dapiferorum*, *Pincernarum*,

liani

Ianitorum, & alia minora officia. Atque hi ſublimiores. Minor eſt, qui in ſingulis locis juridicis eſt.

Adminiſtratio Eccleſiaſtica penes duos Archiepiſcopos eſt, qui ſunt *Gran*, vel *Strigonienſis*, legatus Apoſtolicus, & primas regni.

Tellus rerum omnium copia à natura donata, ubi aurum, argentum, ſal, lapillos, colores effodere licet. Frumenti, pabuli, leguminis & pomorum abundantia præſtat. Neque deeſt amnicorum copia piſcium & cupri confectura: in plerisque fluminibus auri optima ramenta inveniuntur: quin & in vitibus, in aurifero ſolo ſatis, aurum quandoque legunt.

II. De Politico Statv Regni Daniæ.

DAnia diſtincta eſt in præfecturas centum octoginta quatuor, quæ *Hæret* vocantur, & à totidem præfectis legum Danicarum peritis adminiſtrantur.

Rex Daniæ quomodo coronetur Hafniæ, in Eccleſia D. Mariæ, copioſè docat *Mercator in Atlante*, ubi etiam explicat Status ſive Ordines totius Reipubl. Danicæ, qui quinque ſunt: Primus eſt Regis Familiæ. Secundus Nobilitatis, è quo Senatores regni eliguntur. Eorum ſtipendia *ibid.* memorat, ſimulque conſtitutionem, quâ Rex Daniæ bona immobilia prohibetur emere à Nobilibus, ob eam cauſam, ne aliqua diſſenſio inter Regem & proceres regni oriatur.

Ex hac Nobilitate eligitur *Præfectus ſive Magiſter aulæ, Mareſchallus, Cancellarius regni, Cancellarius Regis, ærarii Præfectus.*

Tertius eſt ſtatus Eccleſiaſticus.

Quartus ſtatus eſt *civium, & mercatorum.*

Quintus ſtatus eſt *Ruſticorum*, quorum duo ſunt genera; primum vocant *Freibunden*, id eſt, liberi coloni: poſſident enim agros: alterum eſt eorum, qui à Rege, Nobilibus, aut Eccleſiaſticis perſonis bona conducunt.

III. De Statv Borvssiæ Politico

DIviditur Boruſſia in Regiam & Ducalem. Regia, etſi Regi immediatè ſubjecta ſit, & eodem cum Polonis regno contineatur, tamen peculiare conſilium publicum, leges judicia (à qui-

(à quibus tamen ad Regem provocatio est) ærarii & belligerendi rationem habet. Consiliarios hujus Borussiæ *Mercator* quatuordecim numerat. Capitaneos seu præfectos arcium & reddituum regiorum octodecim.

Ducalis Borussia, olim fratrum Crucigerorum Teutonici Ordinis propria, anno 1425 concessit inclientelam Regis Poloniæ. Si lites inter Regem & Ducem oriantur, à Consiliariis Regis juramento novo ad justè judicandum obligatis Mariæburgi aut Elbingæ dirimuntur. Nobiles autem seu alii contra Ducem actionem habentes, coram Ducis vasallis à Duce ad judicium deputatis, eam instituunt, à quibus provocatio ad Cosiliarios Regis & Ducis Mariæburgi constitutos libera permittitur. Judicium aulicum quinque originarii Nobiles, & tres Iurisconsulti administrant. Iudices in provinciis ita constituuntur, ut ex tribus à qualibet provinciâ nominatis, Princeps unum eligat secundum ius Culmense, & constitutiones provinciæ judicet. Si contra privilegia, libertates, jura, aut consuetudines Princeps faciat, liberum est Ordinibus provinciæ absq; ullâ rebellionis culpâ ad Regiæ Majestatis Poloniæ patrocinium confugere, & vi pactorum inter Regem & Ducem initorum, defensionem suorum privilegiorum ab eo postulare.

IV. De Moscovia.

GUbernationem, & justitiæ administrationem magnus Dux per duodecim Consiliarios assiduè in aulâ præsentes obit. In hos, præfecturæ arcium & civitatum in toto Moschi imperio distributæ sunt, qui literas & libellos supplices Principi inscriptos accipiunt, ejusdemque nomine respondent.

V. De Hispania.

QVamvis Regi Hispaniarum suprema sit in omnes & omnia potestas, nihil tamen fere decernit, nisi ex duodecim virorum (qui totius regni primores *Senatum Regium* constituunt) consilio. Ibi graviora, quæque magni momenti, plenè ventilata terminantur: quæ celanda, in *secretiore consessu* discutiuntur, quem faciunt ipse Rex, Dictator Legionensis, Præses, tertiaque consilii Regii portio. Quæ ad Indias earumq; gubernationem pertinent, tractantur in Senatu, quem *Iudicum* vocant, ab uno præside, 12 verò consiliariis. Bellica in *Senatu militari* peraguntur: quem constituunt 12 viri Senatus Regii, Dictatores item Legionensis & Castellanus

cum aliis. Præter hos etiam tres in Hiſpania ſunt *Iuris præfecturæ*, quas *Audientias*, vel *Cancellarias* appellant, una quidem in Caſtilia, altera verò in Germania, tertia in Galæcia: unicuique præſes eſt, & 12 Senatores: ab his, ſi litigantes ſibi minus ſatisfactum arbitrentur, controverſiæ ad Senatum Regium deferuntur. Eſt denique *Theſaurarius Caſtellanus*, ſub ſe quatuor habens *Quæſtores*, quorum omnium eſt pecunias regni tractare, earumq; habere reddereque rationem.

Ducum numerum in Hiſpaniâ Mercator diſertè memorat, quibus omnibus annuus cenſus eſt à 40 ad 100 Ducatorum millia. Ducibus *Infantaſgi* & *Medinæ Sidoniæ* ſummum ſuperantibus, quorum hic 130, ille 120 habet millia.

Potior pars Marchionum percipit redituum à 10 ad 60 millia Ducatorum.

Comites recenſentur plus minus 80 quibus annuus eſt reditus à 10 ad 25 Ducatorum millia.

Archiepiſcopus Toletanus Caſtellæ Cancellarius eſt, cui poſt Reges Regiamq; prolem, nullus vel dignitate, vel fortunæ amplitudine præſtet.

VI. De Flandria.

EX omnibus ejus Curiis & juris dictionibus appellatur ad conſilium Principis provinciale, quod eſt Gandavi, inde ad Parlamentum, quod eſt Mechliniæ. De ſtatu Eccleſiaſtico & jurisdictione habet pauca, ſed valde egregia, *Mercator in Atlante*.

Idem de comitatu Namurcenſi ubi agit, ſtatum ejus Politicum ſubjicit.

VII. Brabantia.

ANtverpiæ olim commercia excedebant duodecim milliones coronatorum. Proinde meritò cecinit Iulius Cæſar:

Oppida quot ſpectant oculo me torva ſiniſtra
Tot nos invidiæ pallida tela petunt.
Lugdunum omnigenum eſt, operoſa Lutetia, Roma
Ingens, res Venetum vaſta, Tholoſa potens.
Omnimodæ merces, artes priſcæque novæq;
Quorum inſunt aliis ſingula, cuncta mihi.

Cæterùm de totâ Politiâ Belgii, quod Rex Hiſpaniarum adhuc obtinet, vide *Mercat.* per partes diſſerentem *in Atlante*.

VIII. De Germania.

IMperii caput Imperator est.

Primum membrum Imperii sunt 7. Electores.

Secundum membrum est virorum Principum & Nobilium.

Tertium Imperii membrum est civitatum Imperialium.

Nomina præcisè signavit *Mercator in Atlante*, ubi etiam agit de circulis, in quos Imperium divisum sit, & in quibus consilia particularia Imperii tractentur. Tu hîc ducem sequere *Tob. Paurmeisterum de Iurisd. Rom. Imp.* Confer. *Abrah. Ortelium in theatro orbis terrarum*, ubi regiones Germaniæ exponit. De statu Imperii Germanici hodierno disserit *Arnisæus*. *Idem Mercator* exposuit pleniùs statum Germaniæ Ecclesiasticum.

IX. De Polonia.

STatus Politicus regni Poloniæ 2. habet membra: 1. complectitur Archiepiscopos, Episcopos. 2. Nobiles, in quibus sunt Castellanus Cracoviæ: Palatini, quos recensent *Mercat. in Atlanto.*

X. De Italia.

ITalorum gubernatio est duplex: *Politica & Ecclesiastica.* Politica continet varias dynastias. In Ecclesiastica Pontifex Maximus est Hierarcha.

Iure Italia utitur triplici: Pontificio, Cæsareo, Municipali.

Venetiæ urbs urbium clarissima censetur, & florentissima, mundi theatrum commune totius orbis emporium, victrix dominatrixque tot tantorumque hostium: Hadriatici maris regina, Itali nominis gloria decusque.

Dicitur Rex Hispaniarum ex statu Ducatus Mediolanensis proventum habere octingenta aureorum millia. Administratio causarum civilium & criminalium pendet Mediolani, à Senatu Mediolanensi, in quo sunt 16 Doctores, & nonnulli Prælati, Patritiique Mediolanenses.

XI. De Sardiniae Regimine

MUlti sunt in Sardinia magistratus. Omnium supremus est *Prorex*, qui omnem ferè Regis auctoritatem: & solus Hispanus hunc magistratum gerere potest, secundum antiquas constitutiones. Habet à Rege adsignatum Iuris U. Doctorem, quem

Regentem ibi appellant. Habet præterea & alios Consiliarios, quorum consilio omnia ferè disponit, appellaturq; ejus tribunal *Regia Audientia*. Olim hunc magistratum juxta privilegium regni nullus poterat gerere, nisi pertriennium: deinde alius succedebat in locum ejus. Nunc autem in eo munere multis temporibus consistit, ut Regi placet.

XII. De Imperio Turcarvm.

TVrca colligit annuos reditus vasa auri 68 & 38 millia ducatorum. Vas autem auri continet millia ducatorum centum.

XIII. De Regno Fessae.

IN urbe *Fez* est templum, cujus reditus in singulos dies feruntur esse ducentorum aureorum.

XIV. De Imperio Magni Chari seu Tartaria.

HAbet Magnus Cham duodecim Barones aulicos, qui triginta quatuor præfecti sunt Provinciis: horum officium est, ut singulis Provinciis duos præficiant Rectores, ac regiis exercitibus, in locis ubi morantur, res necessarias provideant, & quicquid decernunt, id Regi indicant. Is suâ auctoritate id confirmat, quod illi statuendum dixerunt. In Hordas Tartari dividuntur, quæ vox illis cœtum conventumque plurium significat.

XV. De Regno Chinae.

REx Chinæ habet sub se Gubernatorem quasi Proregem, quem ipsi *Tutan* nominant. Hic causarum totius regni disceptator & judex.

XVI. De India Orientali.

GEns in 7. ordines olim divisa fuit. Septimum conficiunt, qui publicis consiliis præsunt, numero paucissimi, maximè tamen insignes. Ex his ad Regum consilia, tum ad Rempublicam gerendam, tum ad res dubias judicandas asciscuntur. Duces insuper ex his deliguntur & Principes.

XVII. De Iaponia.

MEaci 3 viri (qui totius regni primores summum magistratum constituunt) degunt, penes quos est summa rerum constituendarum potestas: primus Pontificis instar præest sacris: secundus dignitatibus & honoribus: tertius paci & bello.

Ossa-

Offacia magna est frequentia mercatorum, quorum qui mediocres facultates habent, minimum possident 30 aureorum millia.

XVIII. De Abissinorum Imperio.

TItulum & insignia Presbyteri Iohannis, cognosce è theatro orbis terrarum *Abrahami Ortelii num. 68.*

De Indiis Politica quædam etiam contulit *Io. Isacius Pontanus, in historia rerum & urbis Amstelodamensium.*

EXEGESIS HISTORIAE ET POLITIAE REGIAE
è summis authoribus elaborata & innovata.

I.

ÆTate nostrâ Solimanus Turcarum Imperator, Ariadenum, Ænobarbum, Dragutum, Ochialam, piratarum omnium peritissimos potentissimosque, maximis propositis præmiis ad se pellexit, & classibus ac maris Imperio præfecit, ut & eorum opibus suum imperium confirmaret, & piratarum copias toto mari grassantes frangeret & debilitaret.

II.

Apud Moschovitas & Tartaros, quos veteres Scythas Asiaticos vocabant, quater filium vendere etiamnum parenti licet.

III.

Philippus Augustus, Rex Francorum, Iudæos publicatis bonis, regni finibus exegit, quod contrà leges Christianos circumciderent, ac pro servientibus (hoc enim verbo historia Dionysiaca utitur) sibi manciparent.

IV.

In Moschovia, Tartaria, Æthiopia, etiam peregrini à Principibus exire prohibentur, eoque magis, si peregrinus homo ingenio excellere videatur. *Francisc. Alvaresius in historia AEthiopica.*

V.

Insula patriciis Anglorum, Scotorum ac Danorum sine veniâ Principis exire non licet, eoque jure à majoribus accepto etiamnum utuntur Neapolitani, *Matth. de Afflict. decis 265.*

VI.

Londinum nec tantis opibus, nec tanta civium multitudine abundaret, nisi Richardus, Rex Angliæ omnes immunitates civibus tributas peregrinis proposuisset, qui modò decem annos urbem incoluissent.

VII.

Venetias annos quatuordecim incolere neceſſe eſt iis, qui jura civium plebejorum adipiſci velit, qui tamen ab omnibus imperiis, & omni ſuffragiorum jure ſummoventur.

VIII.

Veneti quondam, Genuenſi bello attritis opibus, & civitate pecuniis ac civibus exhauſtâ, trecentos cives, quos ipſi *Citadinos* appellant, acceptâ pecuniâ in Patriciorum albo conſcripſerunt, ut eadem qua Patricii prærogativâ fruerentur; ex quo magnam pecuniæ vim coëgerunt, & novorum civium incremento plebejorum potentiam infirmarunt,

IX.

Polonorum legibus jam inde à Caſimiro Magno uſq; ad Sigiſmundi Auguſti principatum, peregrino ab omnibus ſacerdotiis procul arcentur.

X.

Quibus in locis peregrini nihil proprii jure dominii habeant, & illorum morientium pecunia fiſco vindicetur, vide *Bod. de Rep. c. 6. qui cap. ſeq.* Respublicas Helvetiorum juſtâ ſummaque imperandi prohibendiq; poteſtate, quâ quæq; civitas ſuos coërcere poteſt, diſtinctas ubertim memorat. De iisdem agit *lib. 2. c. 6. & 7.* Item *in Methodo hiſtoricâ.* De adminiſtratione Rerumpubl. iſtarum agit *Mercator in Atlante.*

XI.

De regno Galliæ & Angliæ, itemq; Daniæ *Bod. de Rep. c. 8.* diſſerit. Agit de eodem Angliæ regno *c. 9.* ubi de Scotiæ regno etiam diſputat, & Ducibus Britanniæ Armoricæ, an Francorum vaſalli ſint. Vide *ibid.* fiduciæ formulam Regis Aragonum, quàm Pontifici præſtitit, & authorem diſſerentem de regno Luſitaniæ, de Ducatu Mediolanenſi, Ferrarienſi, civitatibus quibusdam Italiæ, Inſubriæ, Germaniæ, Duce Lotharingiæ, Comite Aſperi montis, Cunarum domino, qui Lotharingâ continentur, Duce Allobrogum, id eſt, Sabaudiæ, Duce Lituaniæ, Pontifice Romano, regno Hungariæ (de eodem agit *cap. 10. & lib. 5. c. 6. lib. 6. c. 5.*) Rege Æthiopiæ, qui *Presbyter Iohannes, Negus* ſuâ linguâ, id eſt, Rex ineptè appellatur, *Iochan bellul.* id eſt, gemma pretioſa, de Principibus Africæ, regno Bohemiæ, &c,

XII.

Apud Venetos magiſtratuum edicta ſingulos cives, & ſuæ quemq; jurisdictionis obligant: decem virorum autem collegium magiſtratibus ſingulis potentius eſt: Senatus decemviris: conſilium, id eſt, omnium Patritiorum coacta multitudo, jura majeſtatis, ut quidem *Bodin. c. 10.* putat, haber, ac Senatum cæterosque magiſtratus imperio continet. Quod ſi decem viri æquatis ſententiis diſſideant, coguntur ſapientum collegia: quibus etiam inter ſe diſcrepantibus, res ad Senatum, ac poſtremò ad conſilium Patritiorum defertur, ſi rei pondus ac gravitas, aut reipublicæ majeſtas agi videatur. Itaque ſi quid decernitur pro collegio decem virorum, hæc verba decreto ſubjiciuntur: *In conſiglio di Dieci.* Cui ſi conjuncta fuerint collegia ſapientum, addi ſolet, *Conla Giunta.* Si verò in Senatu decernatur, his verbis ſignificatur: *In pregadi.* Si in comitia Patritiorum, hæc verba ſubjici conſueverunt: *In conſiglio magiore.* Eſt & *Septem virorum* ſecretius conſilium. Belli vero pacisque ſumma â Senatu, non populo pendet, quemadmodum in regno Poloniæ, Daniæ, Sueciæ, Norvvegiæ à nobilitate. Confer *Bod. lib. 2. de Rep. c. 7.* ubi agit de Venetorum comitiis, & quod ab illis ſacerdotes ob jus jurandum Romano Pontifici præſtitum, procul arceant. Adde *lib. 3. c. 1. c. 2. c. 3. lib. 6. c. 1.* ubi refert Venetorum tres magiſtratus cum cenſoria poteſtate.

XIII.

In Galliâ, à quo magiſtratus creantur, vide *Bodin. d. cap. 10.* Quod jus provocationis ad Regem ſit *eund. loco relato.* Quomodo Curia literas ad Regem ſuperſcribat & ſubſcribat, *eund. lib. 2. de Rep. c. 1.*

XIV.

Collationem Sultani Turcarum Principis & regis Hiſpaniarum inſtituit *eod. lib. 2. Ibid.* dicit, quî Ducum liberi in Angliâ & Scotia agros & prædia abſque ullâ Ducis prælogativâ poſſideant.

XV.

In Peruanorum regionibus, quomodo incolæ poſſeſſionem bonorum, mortuis propinquis petere cogantur, tradit *loc. relat.* ubi etiam tractat, uno legis Mahumeticæ capite contineri, ne quis ullius prædii dominum ſeſe dicat.

XVI. De

XVI.

De Franciſci I. Regis Galliarum opulentiſſimo ærario decies ſepties centena aureorum millia complexo, & Heinrici II. ærario exhauſto, diſſerit *d. lib. 2. c. 4.* ubi etiam cauſam indigetat.

XVII.

Coſmus Medices quomodo Dux Florentinorum creatus ſit, *ibid. c. 5.*

XVIII.

De Imperii Germanorum forma & ſtatu dicere idem multa geſtit, *cap. 6.* Sed ut Politicorum noſtrorum Principes judicant, cœcus de coloribus ſententiam fert, vide *Thuan. lib. 2. hiſtor.* de Germaniæ adminiſtratione quædam ediſſerentem.

XIX.

Turcarum Princeps Senatui rarius intereſſe conſuevit, ſed interiore ac proximo Senatus habendi loco ferè ſemper conſiſtit, aut conſiſtere putatur, ut Senatores in officio contineantur *Bod. lib. 3. cap. 1.*

XX.

De conſiliis regni Galliæ agit *Bodin. d. lib. 3. c. 1.* Agit *ibid.* de conſiliis quæ in Hiſpania ſunt: *c. 2. & 3. 4. 6.* agit de Galliæ magiſtratibus: *c. 4. 6.* de Curia Parlamenti (de eadem agit *lib. 4. c. 4.*) *c. 7.* de jurisdictione Academiæ Pariſienſis, & quî collegia *Templariis* in Galliâ conceſſa ſublata fuerint. Item quibus artibus Iudæi Galliâ & Hiſpania pulſi legantur. Exponit *ibid.* Comitia Galliæ. *lib. 4. c. 1.* agit de provinciâ Narbonenſi ac Septimaniâ, ut ſolutâ fiduciâ ad Regem Galliæ redire debuerint. Omnium verò doctiſſimè de Politico ſtatu regni Galliæ agit *Dominicus à Burmania in Atlante Mercatoris, Arniſæus in Polit.*

XXI.

A Rege Feſſarum majorum ætate duæ Africæ urbes potentiſſimæ defecerunt, propterea quòd præfectus ſponſam alienam Regis exemplo rapuiſſet.

Ioſephus Mauritaniæ ac Feſſarum Princeps ex duobus oppidis intervallo à ſe invicem disjunctis, unam eamq; maximam Feſſarum urbem continuatis ædificiis perfecit, & animos civium junxit concordiâ.

De Republ. Florentinorum multa contulit *Bod. d. l. c. 1.*

XXII.

XXII.

De Censu Venetorum anno 1555.

Illo anno censa fuerunt civium quinquaginta novem millia, 349 supra annum vigesimum: fœminarum verò 67 millia, 557. Monachorum duo millia, 185. Vestalium duo millia, 82. Iudæorum 1158 quæ summa conficit 132 millia, 330 civium, quibus si adjeceris tertiam partem totius summæ eorum, qui juniores sunt annis 20 quoniam hominis vita sexaginta ferè annis terminetur: numerus civium fuit circiter 176 millia, 440 extra peregrinos. Patritiorum verò sive optimatum numerus eo censu non fuit comprehensus, qui excurrit ad tria millia. Confer *Ianot. de Rep. Venet.* & *Arnis.* qui eundem allegat.

XXIII.

Legem Venetorum de dotibus latam explicat *Bod. lib. 5. c. 2.*

XXIV.

Bodin. lib. 4. de Rep. c. 1. memorat, Austriacæ gentis Principes undecim rerum gestarum gloriâ clarissimos, Imperii Germanici majestatem quasi defendisse.

XXV.

Cur apud Indiæ Orientalis populos, Reges tantum numerum uxorum habeant, differit *Bodin. lib. 5. c. 1.* ex historia Perusina Indorum.

In Æthiopia homines litibus non vacant, sacra majori cultu habent, quàm ulla gens.

XXVI.

De Norinbergensium Reipublicæ statu agit *Bodin. lib. 2. de Rep. c. 6.* & cum Republ. Venetâ in multis confert. Ego hoc cum multis dico.

I. Olim magnus nobilioribus, & longâ antiquitate venerandis familiis habebatur honos: nunc vetustissimæ familiæ premuntur, & vix ab interitu se vindicant. Respublicæ à populo ferè reguntur, ut patet in Republ. Genevatum, Helvetiorum, ubi populus jura suffragiorum Senatores eligendi obtinet, leges fert, bella suscipit, & pacem firmat. *Arnis. de Rep. c. 5. sect. 4. n. 16.* Adeò ad populum omnia apud Helvetios prolapsa sunt, ut præter paucos Barones nobilesque, qui per pacta conventa demum æquiore jure in potestatem Bernatum *au pais des Veaux* cesserunt, universam no-

bilitatem Epidemico quodam furore trucidaverint. Basileâ qui fupererant nobiles, ultrò in agros & prædia, sub Episcopi sita ditione, profugerunt, quod opificum & mercatorum imperia nescirent: quam fortunam etiam illi perpessi sunt, qui Argentinam domicilia ex agris transtulerant.

2. Nam cum plebis furori cederent, & insolitudine pacatâ quàm in seditiosâ civitate, suisq; capitibus imminente vivere mallent occasionem aperuerunt civibus transferendæ ad se Reip. legem, que condendi, quà nobilibus capessendos summos honores & magistratus via prorsus præcluditur. Sanciverunt enim, ne quem *Ammeisterum* (is est summus in civitate magistratus) creari fas esset, nisi qui opificio se aliquo debitum docere possit. Licet enim proximum ab hoc locum teneat *Stetmeisterus*, ex nobilitate residuâ subiectus, imperio tamen omni sine illius consensu destituitur. Et vidit *Arnisæ. de Republ. c. 5. sect. 1. n. 14.* illic, cùm incursus hostium timeretur, & ad arma cives, suo quisque loco, prout divisæ sunt stationes, procurrerent, universæ nobilitati interdictum, extra ædium munimentum conspici, aut in platea deprehendi: quam eandem cautionem observant, quoties incendium oritur, ubiq; nobilitati ad recuperandum per vim civitatis regimen viam præclusuri. Exemplo Florentinorum, de quibus *Ioh. Mich. Brut. lib. 1. histor. Florent. Giachetto de Malespini hist. Florent. c. 214. Platina in vit. Clem.* Cæteræ civitates Germaniæ, quæ in Democratiam hanc prolapsæ sunt, ex paucorum imperio, amotas partim à gubernaculis, partim seditionibus oppressas vetustiores familias, ita in arctam coëgerunt, ut nullæ ferè, aut quàm paucissimæ compareant. Lubecæ, Bremæ, Coloniæ, Magdeburgi, & Brunsvvigæ, ubi interim Demagogi & assentatores populi dominantur, nec id exequi licet melioribus magistratibus, quod ex usu Reipubl. videtur, sed quod plebi placet, quæ audacter in quodvis facinus ruit, suâ se multitudine securum putans.

3. Hodie adhuc Reipubl. Norimbergensis ad viginti octo familias, perinde Genuensis redacta est, *Giphan. in lib. 2. Polit. c. 10.* ex quibus colligitur conventus magnus trecentorum, aut præter propter Patriciorum. Nihilominus tamen & ipsi Norimbergenses præter octo seniores, & viginti sex senatores, in Senatum octo plebejos admiserunt, ut suscipionem oppressæ plebis à se averterent, & gliscentes subinde seditiones compescerent.

4. Omni-

4. Omnium verò puriſſimam Ariſtocratiam retinent Patricii Luneburgenſes, qui non tantum ad arcana Reipubl. ex plebejis neminem admittunt, ſed etiam ne ſanguinem cum iis commiſceant, adeò ſuperſtitiosè cavent, ut Romani olim, ante rogationem Canuleiam, non crediderint ſuperſtitioſiùs auſpicia hac commixtione turbari, & incerta reddi.

XXVII.

Reges Galliæ ſocietatem Helveticorum tantâ mercede conduxerunt, quantum videmus, ne finitimi Principes illos ad ſe majori mercede pertraherent, ac peditum quos optimos habet illa natio, legiones inde conſcriberent. Quem numerum conficiant penſiones Helvetiorum à Rege Galliæ acceptæ, docet *Bod. lib. 5. c. 2.* ubi Quæſtoris Helvetiorum Apochas laudat.

De ſalis vectigali in Galliâ, vide *eund. loco relato,* ubi concludit, Galliam frumento, vino, oleo, ſale eſſe divitem, & ab Hiſpania in Galliam auri & argenti copiam ingentem advehi. Auri abundantiam in regno Peruano etiam deſcribit fide Auguſtini *Zaratæ*, qui Logiſtes Hiſpani Regis meruit. Sic itaque exponit tributa & vectigalia Regis Galliæ, Caroli V. Imperatoris ex Inſubria, Principum Florentinorum. Turcarum Principis. Narrat, quadruplatorem quendam profeſſum eſſe amplius ſeptiesmillies ſeſtertium, id eſt, libellarum Turonenſium ſummam 36625000 ſublatis cæteris omnibus tributis ac vectigalibus facilimè ac ſine cujusquam incommodo in ærarium Regis Galliæ cogi poſſe: eundemq; quadruplatorem ſexcenta millia oppidorum ac pagorum in Galliâ conſtituiſſe, ſed ipſe ex rationibus publicis numerum exprimit.

XXVIII.

Montes pietatis Italorum *ibid.* Bodinus attingit, qui ad inopiam tenuium ſublevandam inſtituuntur, ut cui filia naſcitur, in ærarium pietatis pecuniam dotalem, quam volet, eodem inferat momento, nec repetere poſſit: ſed cum puella annum 18 attigerit, deculpam pecuniam maritus dotis nomine ab ærarii Quæſtoribus accipiat. Alterum pietatis ærarium eſt, unde tenuibus pecunia detur ad ſummum aureorum, eâ lege, ut trientibus uſuris, duæ omniũ leviſſimæ judicantur, & pignoribus ærario caveant, ſe creditam pecuniam ſtato die reddituros: ſi ſolvendo non fuerint, pignus

publicè venditur: quod soluta pecunia reliquum est, debitori restituitur.

XXIX.

Franciscus I. Rex Galliæ, pecunias moderato fœnore accepit, persuasus ita futurum, ut Italorum & Germanorum opes brevi cogeret, hostibus eriperet. Heinricus filius brevi exhausto patris ærario opulentissimo, usuras centesimas, post etiam sesquicentesimas, tandem anno 1554 ducentesimas pactus est. Verùm erroris opinione deceptus est: cùm enim graviores cæteris usuras creditoribus solveret, majorem vim pecuniarum se coacturum sperabat. Illum verò gravi fœnore obæratum fides defecit, & ærarii tanta inopia fuit, ut Heinricus moriens plura deberet, quàm sui majores annis quadraginta à suis subditis exegissent: idque æs alienum annis 12 quibus imperavit ferè totum usuris contractum est: præterquam quod quatercenties quadragies quinquies L L 5, id est, 2312610. II. Turonens. mutui nomine sine usuris debuit.

Quæ debita usurarum vitio Carolus V. ejusq; filius Philippus contraxerint, *Bodin. lib. 6. c. 2.* expedit.

XXX.

Rex Hispaniarum librum habet omnium literarum, duas ad Legatos & Præsides provinciarum scribit, compendiosissimè singula complectentem, eum volvit ac revolvit.

XXXI.

Franciscus I. Rex Galliarum, personarum illustrium, quibus donaret, delectum habuit, & largitionibus modum imponere didicit. Nescivit Heinricus filius, *Bod. loco relato.*

XXXII.

Veneti summa quæque in Republica septem viris aut sapientibus deliberanda, sæpiusq; decernenda committunt, ne arcana imperii in vulgus manare possint. Quibus artibus illi ipsi Rempubl. maximam maximè tueantur, dicentem vide *Bod. lib. 6. c. 4. §. quamobrem Veneti.*

XXXIII.

Turca habent suum Muphthem, id est, Pontificem maximum, qui illam quæ inter jus scriptum & æquitatem intercedere dicitur, interpretationem solus habet. Alii Reges Persarum, Africani suos quoque habent Pontifices, de quibus vide *Bod. d. l. c. 9.*

XXXIV.

Apud Tartaros & Moſchovitas leviſsima furta morte puniuntur, quia in tuguriolis an aut caſis humilibus fortunæ cujusq; poſitæ ſunt. Quin etiam apud Indos, qui ſunt ad Occaſum, fures verubus ac varris tranſigi mos erat, priusquàm Hiſpani regiones illas ſubegiſſent.

XXXV.

Turcarum Imperator propterea nullam tolerat campanam in ſua ditione, atq; adeò nullum horologium, cùm exiſtimet campanas eſſe ſeditionum inſtrumenta.

XXXVI.

Principes Auſtriæ non ſolùm filios, ſed & filias ſuas curant inſtitui in lingua Latina.

XXXVII.

Sleid. *lib. 19. circa medium*, eleganter deſcribit inaugurationem Regum Galliæ. Adde *Eod. lib 6. Polit.*

Imperatores Romani pro inſignibus habent aquilam bicipitem: Reges Galliæ habent lilia: Anglia Reges habent roſam cum leone, *Nicol. Reuſn. de inſignibus.*

XXXVIII.

Philippus Bellus, Rex Galliarum, legem veſtiariam tulit olim *Bodin. lib. 6. de Rep.* Nunc laudabile ac utile inſtitutum Reipublicæ Venetæ, & inprimis Norimbergenſis eſt, in qua cuilibet civium ordini certa veſtimentorum genera, & eorundem pretia conſtituuntur.

XXXIX.

Feudum Turcæ dicunt *Timar*, & vaſallos Timariotas. Eſt autem *Timar* honorarius prædiorum fructus, à Græco ut opinantur τιμᾶν, quod eſt honorare, quæ vocabuli notatio propriam feudi naturam exprimere videtur.

XL.

Regis Galliarum idcirco magna eſt & formidabilis potentia, quia partes Galliæ ſunt continuatæ in circulum, ita ut ab omnibus partibus extremis Galliæ ſubditi Lutetiam, tanquam ad regiam facilè confluere poſſint neceſsitatis tempore, veluti lineæ à circumferentia ad centrum.

XLI.

Dominicus Sotus *de just. & jure lib. 1. quast. 5. art. 3.* homo Hispanus, exprobrat Germanis crudelitatem suppliciorum.

LXII.

In historiis Indicis notatur, & à Lipsio quoque *in not polit.* perscriptum de Rege Iapaoniæ, qui suis subditis jurare cogitur, se effecturum, ut justo tempore pluat, & justo iterum tempore sit serenitas, néve imbres, grandines, & ejusmodi alia noceant frugibus.

XLIII.

Valdè à Politicis laudatur magnus Hetruriæ Dux, qui cum sit potentissimus & opulentissimus, aulam tamen interim habet contractam & parcam.

XLIV.

Relationes legatorum à multis seculis consignatas, Senatus Venetus in Archivis suis pro quodam velut thesauro Politico conservat. Et quæcunq; Boterus & alii Itali de exteris Rebuspublicis scripserunt, ea præcipuè ex talibus legatorum relationibus contexta sunt.

XLV.

De fœdere Anseatico, der Hänsen Stätt/ politici & Historici testantur, quod sit inter maximè nobilia & terribilia, usque adeò, ut Ludovicus abr Acila in historia belli Germanici non obscurè profiteatur, potentissimum illum Carolum V. Imperatorem robur civitatum Anseaticarum valdè reformidasse. Quæ civitates sint in societate Anseatica docet *Matth. Steph. de jurisd. Rom. Imp. part. 2. c. 3. Meteran. lib. 19. hist. Belg.*

XLVI.

Adhuc prudentes viri plus metuunt Tartaros quàm Turcas, quia Tartari sunt Septentrionaliores. Et sunt multi in hac opini, Germaniam tandem à Tartaris vastatum iri, & illis prædam futuram.

XLVII.

Quæ Boterus de regimine Poloniæ scribit, ita sunt intelligenda, ut Monarchia ibi secundùm quid prævaleat, & secundum quid Aristocratia.

XLVIII.

Stipendia & reditus scholarum Turciarum non constituuntur ex fisco & reditu Imperii, sed ex nova acquisitione vel additione fa-

ne facta imperii: ut, Turca ob eam causam invasit Cyprum & Nicetiam, scholas ditat reditibus, quos percipit à *Zigets* in Hungaria, *Tholos. de Rep. lib. 18. c. 5.*

XLIX.

Galliæ populus, in quot ordines distributus sit, idem *Thol. lib. 4. c. 1. sect. 14.* refert, & *lib. 4. c. 5. s. 38.* addit, Galliæ Rege mortuo, quomodo magistratus exerceant potestatem.

L.

Insignia dignitatis donata summo Pontifici & clericis ejus à Constantino Magno, quæ sint, vide *Thol. lib. 25. c. 1. n. 11.* ubi mira nobis prodit.

LI.

Princeps Moschoviæ baculo nobilibus dato, eos officiis præponit, quem abeuntes magistratu reddunt. Intelligitur obsequium in Principem, *Alex. Guagin. de nece Rostovienſis Ducis.*

LII.

Insignia Regis Scotiæ, & Alphonsi I. Portugalliæ Regis, *Thol. lib. 6. c. 16. n. 14. lib. 12. c. 16. n. 6.* disquirit, insignia crucis albæ in campo rubeo, Siciliæ ab Archadio quare data.

LIII.

Poloniæ (quæ aliquando, cùm Ducatus esset, tributaria imperii fuit) insignia sunt aquila alba, *Thol. lib. 6. c. 16. n. 7.*

LIV.

Modus exquirendæ pecuniæ exquisitus fuit, cùm Veneti patriatum promiserunt classem juvantibus pecunia.

LV.

Statum Reipublicæ Venetæ, ejus primum tribunos, magistros militum, deinde Duces, magnos magistratus, concilium magnum, nobilitatem patritiorum, collegium, *il Collegio* peculiari nomine dictum, Decemviros, eorum potestatem circa jus belli, pacis, fœderum (hîc confer *Bodin. de Rep. 1. c. 10.*) Procuratores D. Marci, hæc omnia dissertè explicat *Arnis. in Politic. de statu Reipub. Venetæ.* Adde *Paul Palczovvski de Palozovvice in lib. suo de statu Veneto Phil. Camer. in obs. hist. c. 33.* laudabilem fert esse morem Venetiis inter Senatores, quando in Curiam ad consultandum de rebus publicis conveniunt. *c. 64. è Sabell. in hist. Venet. decad. 3. lib. 6.* thesaurum publicum

cum Venetorum in æde D. Marci prodit. Confirmat hoc *Cominæus lib. 2. de bell. Neap.* Liber Italus, qui inscribitur de rebus memorabilibus Venetæ Reipubl.

LVI.

Poloni licet Regi se subjectos fateantur, tamen ut de de Gallis *Boter. lib. 2. Polit illustr. c. 3.* dicit, tractari volunt ut fratres: alioquin statim audiet: *Apage facesse hinc.* Iuramentum Henrici Andegavensis, & Stephani Batori refert *Arnisæus in Polit. de statu regni Poloniæ*, ubi alia confert, & de statu regni Poloniæ scita & docta disquirit. *Iohannes* quoque *Ianusovvski*, qui statuta regni concinnavit, in præfatione ad lectorem memorabilia de statu regni Poloniæ habet, & temperiem Monarchiæ, Aristocratiæ & Democratiæ ostendit.

LVII.

Iudicium Regis Hispaniarum de opibus Regum aliorum, & Belgio ipso, vide *Meter. in hist. Belg. lib. 19. de anno 1598.* ubi recitat Regis epistolam monitoriam ad filium.

LVIII.

Ioh Boterus, Canonicus Romanus, in thesauro Politico scribit, quænam utilitas ex occupatione regni Daniæ ad religionem Catholicam redundare possit, scilicet auxilia hinc posse accipere res Catholicorum in Belgio, Mirus hîc nobis Politicus Boterus. *Cicarella* quoque in vita Sixti V. Pontificis scribit, quinq; milliones in castro S. Angeli reconditos, ad recuperationem cujus regni ab inimicis Romanæ Ecclesiæ occupati.

LIX.

ANNVI REDITVS ET CENSVS REGNORVM & REGIONUM, de quibus Grasserus *in officina* Textoris.

ITALIA, teste *Viginario*, ex dominatibus solummodò Politicis Romano Pontifici quotannis exhibet millionem auri, qui efficit centena millia ducatorum. Hos autem reditus amplissimos dominia Ecclesiastica plurimis modis superant, quæ possidet in Italia, Hispania, Gallia, Germania, & alibi, *Lanovius* ponit quindecies centena millia coronatorum: *Hieræus* autem 900000 coronatorum.

Neapolitanum regnum pendit quotannis, secundum *Vigin.* duodecies centena millia ducatorum, secundum *Hieræum* verò 1646000 coronatorum. Sici-

Sicilia, teſte *Vigin.* quinquies centena millia ducatorum.

Mediolanenſis Ducatus, teſte *Vigin.* duodecies centena millia.

Hetruriæ Ducatus, eodem *Viginar.* teſte, Mediceo ſolvit quindecies centena millia. Teſte verò *Hieræo* 1110000. coronatorum.

Mantuanus Ducatus, & Montis Ferrati Marchionatus penditer centena millia, ſecundum *Viginarium*, vel ſecundum *Hieræum* 849000.

Parmenſis Ducatus, ex *Viginar.* octoginta millia. Urbinatus Ducatus, ex *Viginar.* quinquaginta millia, ex *Hieræo* 10000.

Lucenſis Respublica triginta millia.

Genuenſis Respublica centum millia.

Ferrarienſis Ducatus 327000.

Venetorum Respublica ex univerſo dominio quindecies centena millia, *Vigin.* & ſic Italia, ſecundùm *Vigin.* redderet 9. auri milliones, centum ſexaginta quinq; millia ducatorum, ut ærarii Quæſtores ſubductis ratiouibus invenerunt anno Chriſti 1583. Ex ſolo ſale enim collecta ſunt ſeptingenta duo millia ducatorum, & ſedecim.

Tributa omnium artium Mechanicarum effecerunt centum quinquaginta ſex millia, ſexcenta nonaginta octo.

Ex piſcatione 5752. ducati.

Ex lignis ædificiorum 5754. ducati.

Ex piſtrinis & molis 1997.

Ex naulis maris & fluminum 6591.

Ex venditione vinorum 2361.

Ex officinis monetariis 33081. & hæc ex ſola urbe Veneta.

Subſidia verò ex Patavio, Treviſio, Verona, Gologna, Bergamo, Baſſamo, Civitalle, Feltre, Rovigo, Crema, Breſſa, Vincentia, earumque ſtatu, æquarunt centum ſexaginta millia ducatorum, ſeptingentos & nonaginta.

Eædem urbes ſolvunt annuatim ad ſtipendia Centurionum, equitum & peditum 80000. cor.

Ex Ducatu, qui antiquitus continebat oppida lacunarum ſinus Adriatici, qui circum Urbem, & dicuntur vulgò portæ urbis, ut ſunt Muranum, Malomocum, Torcellum, Buranum, Mazorbum, Chiozza, & loca littoralia, quæ ſeparant Adriam à Lacunis.

Ex Murano 862. Ex Torcello, Mazorbo, Burano, aliisque locis pertinentibus additionem Torcelli 2187. Ex Nalomoco 94. Ex Chiozza 3538.

Quod autem alias urbes & oppida ſtatus Veneti attinet, ex iis ſequentia colliguntur tributa.

Ex Adria 1010.
Lorico 1460.
Gambara 400.
Cavargere 1095.
Patavium 48504.
Preve di ſacro 920.
Novale 950.
Campo S. Piero 914.
Montagnana 2346.
Eſte 934.
Azolo 1782.
Caſtel Franco 1700.
Caſtel Citatella 1522.
Meſtre 2914.
Vincentia 47237.
Caſtella Vincentina 1064.
Longino 1628.
Verona 75170.
Caſtella Veronenſia 11106.
Cologna 6240.
Caſtelbaldo 248.
Mons Celiſi 932.
Baſſano 4976.
Trevigi 25265.
Caſtel Triviſana 932.
Valerzo 1261.
Porto Buffale 793.
Sacile 1490.
Caneva 718.
Conigliano 6521.
Saravelle 1136.
Cadore 2551.
Rovigo 8547.
Lendonara 1446.
Abbatia 7525.
Vtina 5726.
Civitalle 2838.
Porto Gruaro 1476.
Lignago 5650.
Peſchiera 1190.
Sorve 1212.
Breſcia 89958.
Solo & Riviera 12427.
Romano 1168.
Mærtinengo 1466.
Lona 1471.
Azolo 2136.
Orzi 1336.
Bergamum 34697.
Crema 77610.
Monfalcon 1122.
Chiaſa 750.
Perdonove 4577.
Feltre 4620.
Civitaldi Bulleno 5398.

Ex Iſtria colliguntur reditus.

Capo d'Iſtria 2612.
Piran 1021.
Rovigno 633.
Parenzo 1116.

Cita

Cita Nouva 881.
Pola 200.
Dignam 1384.
Albona & Fianona 1143.
Valle 878.
Montona 1820.
Grittiguana 1584.
S. Lorenzo 1456.
Pinguente 2756.
Humago 590.
Salvia 752.
Buie 342.
Portole.

Ex Dalmatia, ubi notandum, ejus confiscationes, & mulctas omnes condemnationum peculiari privilegio communitati Dalmatarum attribui, non Venetorum fisco adplicari.

Cherso & Osero 6101.
Veglia 4735.
Arbe 2780.
Zara 2287.
Nona 640.
Sebenico 6246.
Trau 4980.
Limissa 8720.
Spalato 15567.
Curzola 3070.
Pago 600.
Cataro 8507.
Piazza 6000.
Budua 1240.

Novegradi immunes sunt ab omni tributo, sed singulis militibus præsidariis, qui arcem tuentur, quotidie numerant 25. solidos.

Ex Insulis, quæ ad Græciam vergunt.

Corcyra 8059.
Cephalenia 13877.
Cerigo 2340.
Candia 17810.
Retimo 4510.
Zacynthos 17 84.
Canea 4107.
Scythia 2930.
Leve & Micesi 3706.

Summa summarum omnium proventuum Reipublicæ Venetæ regit ad quatuor milliones, centum sexaginta quinque millia ducatorum, & quadraginta octo ducatos.

Pedemontanus principatus, & Sabaudiæ Ducatus superat millionem auri.

Gallia quamvis Italia duplo mjor sit, tamen Regi suo quatuor tantum auri milliones pendit. Communicantur enim plures proventus Principibus regni, & nobilibus, qui simul à suis subditis non minus quàm tres milliones colligunt: totidem etiam recipit ordo Ecclesiasticus, quia nonnulli testantur Gallicarum Ecclesiarum reditus accedere ad septem milliones coronatorum aureorum. &c *Viginarius*,

Lanovius autem asserit, in Gallia esse duodecim Archiepiscopatus, 96. Episcopatus, 600 Abbatias lautissimè dotatas, 2000 Prioratuum, & omnes hos ordines possidere in annuo reditu decies centena millia librarum: alii vero observarunt plura, quod est verisimilius: constat enim omnes Episcopatus, sacerdotia & cœnobia Italica, vix tantum recipere proventuum quotannis ex beneficiis Ecclesiasticis, quantum quarta pars Ecclesiæ Gallicanæ.

Bodinus refert, anno 1444 sub Carolo VI. totum regnum solvisse quotannis tantùm tredecies centena millia librarum. Sub Carolo IX. anno quo mortuus est 1574, reditus regni superarunt quatuordecim millones librarum. Sub Henrico Magno exhibuit quinque milliones auri, & quingenta millia coronatorum. Qui tamen reditus annuatim in maximas excrescentes gazas, quorundam avaritiæ non suffecerunt.

Auctor libelli, qui vocatur Conclave Regium, testatur, Politici ordinis reditus accedere ad triginta novem milliones, & quingenta millia librarum Turonensium, quæ superant tredecim milliones coronatorum. Ordinis autem Ecclesiastici reditus longè ampliores affirmat.

Ideò autem veteres Galliæ Reges in Ecclesiasticum ordinem tàm liberales fuerunt, quia illum deprehenderunt erga pauperes, viduas, orphanos, peregrinos, & similes miserabiles beneficum, & paternè affectum, qui tantos reditus in afflictorum Christi membrorum pium usum collocarunt. Vnde omnes illi pii Episcopi & præsules, pauperum causa horum proventuum tàm diligentem semper habuerunt rationem, quemadmodum inter plurimos alios in Ambrosio & Laurentio videmus, quorum hic Decio, ille verò Valentiniano Imperatori bona Ecclesiastica tradere jure noluit. Et Leo I. ad Episcopos per Siciliam scripsit: Bona hæc non nostra, sed nobis commendata esse.

Caveant sibi omnes Achabi, ne Nabothis vineam eripere præsumant: quæ enim felicitas in auro Tholosano sit, omnibus & seculis & gentibus plus satis innotuit.

HISPANIA, *Viginario* teste, duos tantùm auri milliones quotannis Philippo suo pendit. Ex India autem & America ingenti auri copiam colligit. *Ortelius* refert, ex novem Hispaniæ regnis quinque milliones ducatorum comportari. Octo ejus Archiepiscopatus,

& 48 Episcopatus in annuis habent reditibus centum & quadraginta millia ducatorum.

Belgium, ut observavit *Viginarius*, solvit sedecies centena millia coronatorum. *Bodinus* scribit Belgas Caroli V. tempore solvisse tantùm tredecies centena millia librarum.

Portugalliæ regnum, ut *Boterus* refert, pendit singulis annis duos ducatorum milliones.

ARRAGONIA ducenta millia. NAVARRA centum millia. SARDINIA centum millia.

GERMANICUM imperium, teste *Botero*, possidet septem milliones.

Austriaca domus duos milliones, & quinquaginta millia.

Polonia ut observat *Boterus* pendit centum millia coronatorum.

Lotharingiam sexies centena millia librarum solvere ait *Viginarius*, *Boterus* autem non ultrà quàm quinquaginta millia.

De Helvetia nihil dico; agat illa Deo pro tanto libertatis beneficio dignas gratias, & piis majorum insistat vestigiis. Vel binæ illæ de Carolo Burgundo victoriæ sufficiant loco maximorum redituum: sufficiat regio amœnissima, fertilissima, saluberrima, munitissima.

ANGLIA, secundum *Viginarium*, quindecies centena millia.

SCOTIA, ut *Boterus* scribit, solvit centum tantùm millia, quando ejus regni proventus magis in hominum, quàm pecuniarum numero consistit, ut observavit *Viginarius*.

TURCI Imperatores proventus pro diversitate tyrannorum diversi sunt. Solymanni tempore totum Imperium solvit quotannis decem milliones, nongenta quadraginta octo millia ducatorum, & quingentos, ut refert *Theodorus Spanduginus*, *Patricius Constantinopolitanus*, qui particulatim hæc ita explicat:

Ex tributo Carazzi, quod à Christianis penditur quotannis, recipit millionem unum, & quingenta millia Seraphorum

Ex minericiis, metallicis, salis, aluminis colorum, boli Armeni, terræ figillatæ, & ejusmodi. 900 millia.

Ex Datiis & Gabellis, ut vulgo loquuntur, 700. millia.

Ex privilegiis & diplomatibus 100. millia.

Ex bonis caducis, quæ Galli Aubennas vocant, 500 millia.

Ex salinis 500. millia.

Ex bonis defunctorum sine hærede vel patrono 100. millia.

Ex naulis, quæ penduntur pro egressu regnorum, 50. millia.

Ex monetariis officinis 100. millia.

Ex piscationibus 50 millia.

Ex reditibus mortuorum Bassarum, & aliorum, quibus stipendia quotannis ab Imperatoribus solvuntur, post quorum mortem redeunt ad ærarium quotannis plus quàm 600, millia.

Cyprus hodie pendit 8. millia. Moldavia 6. millia.

Valachia 12 millia. Ragusium 12 millia, 500. Chios 10 millia. Ægyptus decies centena millia Sultaniorum.

Ex decimis omnium urbium 4 milliones.

Ex decimis aliorum regnorum 7. milliones.

Boterus dicit Ægyptum olim solvisse 7 milliones.

Franciscus Sansorius ait, Turcam possidere quotannis quindecim milliones auri, ex illis autem quinque tantùm referri in ærarium, ex reliquis decem per imperium alii milites.

Iovius in vita Solymani scribit, connumeratis cum prioribus suis etiam Sultanici regni reditibus, sexagies centena millia aureorum singulis annis habet: ex quibus quinquies & quadragesies centena millia expendit.

Bernhardus Navagerius, sereniſſimæ Venetæ Reipub. apud Turcam Legatus scribit: Ego dico me anim advertisse, ex rationibus ærarii, quod Chasna dicitur, recipi annuatim octo milliones 272000 ducatorum, quæ summa ex his particularibus colligitur.

Tributum Asiæ minoris, quod à Christianis Græciæ & Anatoliæ extorquetur, superat decies centena millia ducatorum.

Ex Datiis, diplomatibus & privilegiis, colliguntur quotannis centum millia ducatorum.

Ex bonis defunctorum sine hærede, trecenta millia.

Incolæ Ducatus Arragō, qui à tributo Carazzi immunes sunt, solvunt annuatim per singulas domos Ducatum unum, quod efficit summam ducentorum millium.

Ægyptus, Nemphis & Arabia, solvunt unum millionem, & octingenta Seraphorum aureorum millia, ex quibus in Turcæ ærarium redeunt trecenta millia: reliquum ad tuitionem provinciarum impenditur. Mesopotamia ducenta millia, ex quibus ad ærariū redeunt centum, & quinquaginta millia.

Ex

Ex Rhagusino tributo decem millia.
Ex tributo Moldaviæ sedecim millia.
Ex Transilvania decem millia.
Ex Valachia duodecim millia.
Ex Insulis Archipelagi sex millia.
Ex Chio decem millia.
Ex Cypro octo millia, &c.

Viginarius Turcicum proventum æstimat duodecim millio-nes auri, qui quotannis ingrediuntur ærarium Sultani. Accedunt autem & alii reditus, qui Thimar dicuntur, ex agris, sylvis, fluviis, fortis & pascuis totius Imperii Turcici, qui ad maximam summam redeunt. Ex iis suppeditantur impensæ ad alenda trecenta millia equorum militarium, quos Turca suis equitibus distribuit, quoties expeditionem in hostem molitur. Ad bellum enim omnes cogun-tur, quotiescunque Principi libet, stipendiis, armis equisque & an-nona ex ærario acceptis.

Ex his itaque, humanissime lector, colliges, quantum olim fu-erit Romani Imperii robur & potentia: quantis facultatibus & di-vitiis abundaverit. Nam quod ex Syria & Mesopotamia colligantur hodie octies centena millia ducatorum, mirum videri non debet: testatur enim *Herodotus*, Darium, Histaspis filium, primis suæ mo-narchiæ annis, ex his duabus provinciis contraxisse quotannis qua-tuordecim talentorum millia, & quingenta, quæ efficiunt octo mil-liones, & septies centena millia aureorum.

Quod si verò Turcicis reditibus annuis, qui efficiunt viginti milliones auri, addas alios viginti milliones, qui à Christianis possi-dentur Principibus, totius summa erit quadraginta milliones, qui quotannis ex provinciis colliguntur, quæ Imperio Romano olim erant subjectæ, & sic differentiam inter hodier-num & priscum Romanum perpendo Imperium.

INDEX

INDEX

INDEX RERUM MEMORABILIUM in BOTERI RELATIONES.

A.

Abissinia nulla regio generationi aptior. 45
Abissinia mancipia miros extra patriam habent progressus. 150
Abissinii loquendi & epistolam conscribendi regulas non habent 145
observant jejunium 50. dierum. 148
Spartanorum morem in muniendis urbibus amplectuntur. 145
sunt ingenio tardi. 145
veritatem non dicunt, nisi juraverint per Regis vitam. 146
Abissiniorum divitiæ. 145
Adel Rex hostis Abissiniorum 151 152
Sancti nomen sibi paravit, quod semper bellum gerere cum Christianis velit. 160
Æstus maris Britannici. 11
Agæ Janizarorum. 198
Agilitatis causæ. 32
Albis 52
Alcaceria 155
Alcaides. 160. 161. *si mortui sunt. bona eorum Rex recipit.* 160
Alepum 193
Alcairum princeps Africæ urbium. 193.
Aloe odoris suavissimi in regno Mangin. 123
Amochi milites Calicutii seipsos execrantur. 130
Anglia in 51 comitatus dividitur. 12
non generat lupos aut noxium animal. 10
situs fortitudine alia regna superat. 10
Angliæ ambitus 8. 9.
Archiepiscopatus 9.
Episcopatus ibi.
lanæ præstantes. ib.
loca munita. 11
opes 9. 14
oppida 9
panni. 10
parochiæ. 9
vires maretimæ & terrestres 11. 12
Angli duo totum orbem terrarum circumnavigarunt. 12
Angli in continente nihil præclari fecerunt. 175
Anglorum in rebus maritimis dexteritas. 11
Animalia sylvestria Poloniæ. 26
Animos unit æqualitas. 28
Annonæ caritas oritur in Turcia ex hominum penuria. 194
Antwerpia 210
Apes Poloniæ 26
Aracan 123

Arbores immenſæ in Moſcovia. 36
Arces nimis coopertæ & tectæ inter meliores non cenſentur. 103
Arma deſtruunt magis quàm conſervant. 194
homines audaces faciunt. 156
Armis quomodo exuat populum Faſſiha. 142
Armuzii laus. 163
Arverniæ montes. 7
Aſtrologiam Perſæ laudant. 135
Aſtrologi in magno pretio ſunt apud Tartaros. 95
Avenionenſis ſtatus ſubjacet Papæ 57
Auguſtæ ducatus 59
Auri pretium annis ſuperioribus in Turcia adeo crevit, ut unus aureus duplo plus quàm prius valuerit. 196
Auſtriaca domus nulli regno in Europa cedit. 45
inclareſcere cœpit feré eodem tempore, quo familia Othomanica. 44
Auſtriacæ familiæ ditiones. 45
reditus. 46
Authoritatem ſuam quomodo Magnus Dux Moſcoviæ conſervet. 38
Azomoglani columen imperii Turcici. 196. 197. 198.
Azoppi. 199

B.

Badurii Cambaiæ regis expeditio 98. 99.
Barmæ Rex. 103
Bate oppidum ſignificat. 105
Belgicæ Politiæ forma unde profluxerit. 183
Belgii encomium. 169
Bellicæ artes Turcarum. 193
in Bello plurimum expendendum eſt. 119
Bellum ſi non procul domo geritur non eſt difficile pauco tempore magnos exercitus colligere. 121
Bineficia & Beneficiarii. 197
Bindimirus fl. 133
Bohemia. 45
Boriquena inſula. 165
Borno Rex infeſtat Abiſſiniam. 149
Bornenſes uxores & liberos habent communes. 149

C.

Calicutii regnum. 128
Cambaia 100
Camelorum Perſiæ tria genera. 136
Candahar caput Parapomiſi. 134
Candia 74. 75.
Cantabrorum laus. 171
Carceres nulli ſunt in Monomotapa. 152
Carinthia. 45
Carniola 45
Carnis pondere libra vendita pendit nummum Duci Florentiæ. 62
Carolus M. imperium occidentale adeptus eſt. 49
Carucen templum Feſſanum Mahumetanum admirandum. 154
ejus reditus. 160
Casbin 134
Caucaſi millerami. 102

INDEX.

Cedrus 141
Ceſpitio diaboli 19
Chami imperii amplitudo 91
Chami juſtitia maieſtas potentia 93
Chami vires duas ſingulares conſiderationes habent. 93
Chamo in imperium ſuccedit primogenitus cum ſingulari ceremonia 94
China vocatur etiam Mangi 99
quando à Tartaris ſubjugata. ib.
in ea non fuit peſtis univerſalis. 108
Chinæ civitates 109
diviſio 107
provinciæ XV. 107
Reges finitimi 113
Chinenſe imperium eſt unum maximorum imperiorum 110
eſt deſpoticum 110
Chinenſes alios bello offendere abſtinent. 105
legatos aliorum principum veneno tollebant & ſepulcra ſumtuoſa ipſis ponebant 105
patria excedere non audent niſi cum venia Regis. 108 110
populos ſibi ſubjectos libere dimiſerunt. 106
Chinenſium imperii delineatio. 104
105
regionis fertilitas incompabilis. 107
jactantia. 111
divitiæ 113
vires 112
Chingis Rex Tartarorum. 89
Chirmain metropolis Caramaniæ. 134
Chryſoſtomi homilias legunt Moſcovitæ. 38
Circaſſi 43
Civitates cur dicantur Imperiales. 53
Comitia cui rei ſint ſimilia. 31
Conatuum humanorum non datur curſus continuus. 101
Congo Rex Africæ. 179
Conſervare ſuas regiones magis regium eſt quam dilatare. 106
Conſtantinopolis. 47. 48. 193
Conſtantinus reſtituit imperium antiquo ſplendori. 47
Contributiones unde ortum traxerint. 53
Coquinai 140
Cornubia. 9
Corſieri 33
Coſacchi 30
Coſmus à Pio V. in Magnum Ducem Etruriæ creatus eſt. 68
Cracovia cur non ſit munita. 30
Cuba 165
Cunctatio an impetus melior. 174
Curlandiæ duces 26
Cuſtra Suſianæ caput. 134

D.

Dairi authoritas magna, potentia nulla. 142
Dania 16
Daniæ Regis divitiæ in quo conſiſtant. 17
militia terreſtris & navalis 17

ſtatus politicus 208
vectigalia 17. 18
Dania Rex non abundat pecuniis 18
Delectus in Anglia habendi modus. 12
Deliberatio expeditionum tribus capitibus inniti debet. 36
Differentia inter Polonum & Moſcum. 44
Diluvium Chinenſe 108
Dolcinda regio ſterilis. 102
Duina fl. 25

E.

Electio Regis Mexicani. 165
Eor civitas 134
Eques levis armaturæ melior eſt cataphracto. 33
Equi Anglici cum Germanicis non conferendi. 12
Equi Germanici potius fortes quàm animoſi. 55
Equis in Malabar in prælijs non utuntur. 129
Equitatus Angliæ 13
Equitatus eſt exigui momenti in montibus. 102
Equitatus Gemanicus non eſt aptus ad inſequendum hoſtes. 33
Equitatus Poloniæ. 30
Equitatus Turcici effectus. 197
Equites Teutonici. 25
Equitum Teutonicorum Magnus Magiſter quomodo in Ducem Pruſſiæ mutatus. 26
Equitum Moſcoviæ arma. 42
Equorum Sueciæ laus. 22
Eri caput Provinciæ Ariæ. 134
Etruria 60. 61
Europæ populi ſemper pro bellatoribus habiti fuerunt. 197
Exercitij numeroſi collectio & eductio. 119
Exercitus longe facilius colliguntur in regionibus Africæ Orientalibus quam in Europa. 121
Exercitus numeroſi non diu durant. 123
Exercitus numeroſos perdendi conſilium. 102
Expeditio bellica interdum ſeipſam alit. 120
Expeditiones quales eſſe debeant. 35. 36.
Expeditionum deliberatio tribus capitibus inniti debet. 36

F.

Fabri in Abis ſinia habentur pro nigromanticis. 145
Faſſia Rex Japoniæ. 141
Faſſihæ reditus ex oryza. 143
ſuperbia. 16
Ferdinandi tertii Magni Ducis Etruriæ inſignia 68
Fertilitas Chinæ duplici via augetur. 107
Feſſæ civit. privilegium. 154
ſunt plus quàm 400 molæ. 160
Feſſa vetus continet 50 templa Mahumetana. 154
Flandria 210
Florentia 61
Florentiæ Ducis reditus ex dotibus venditione bonorum immobilium, locatione domorum, cauſarum actionibus, datiis. 62

Florentiæ parantur panni ex auro pulcherrimi ib.
Florentinus ſtatus. 61
Fortificationis laus 104
Francia dat vina perfectiſſima. 2
Franciæ felicitas. 1
fertilitas, fluvii. 3
figura, frugum copia aer, diviſio, termini. 1
reditus 6
pagi 4
populi frequentia. 5
in Francia ſunt 4 magnetes, qui foris ad ſe pertrahunt pecuniam. 5
Franciam cum Hiſpania ſub una corona uniri optatur magis quidem effectum dari poteſt. 174
Francis arma Anglorum tremenda 12
Franciſci II. Magni Ducis Etruriæ mors ſubitanea. 68
Franciſcus Dux Mantuæ & Montis ferrati. 69
Franciſcus Mantuæ Marchio primus omnium Italiæ principum barbam perpetuo aluit. 69
Franciſcus Maria Roboreus. 71
Franciſcus Maria II. 72
Fredericus ex Marchione Dux Mantuæ creatus. 69
Fredericus Mantuæ Marchio tertius. ibid.
Fur privatur vitâ in Cathaia niſi nonuplum perſolvat tam pro obolo quam pro aureo. 94

G.

Gangis aqua nemo ſe lavare poteſt, niſi regibus vectigal perſolvat. 25
Germania abundat frugibus. 52
auri argentiq; mineris dives ibid.
diviſa eſt in decem circulos. 53
dividitur à Meno in ſuperiorem & inferiorem. 52
mercatrix non minus eſt quam fertilis 16
Germaniæ civitates liberæ 96 quondam fuerunt. 53
equites meliores. 54
fluvii 52
inferioris oppida, municipia, pagi 100
natio adeo numeroſa eſt, ut abſq; ea nullæ fiant expeditiones. 54
natura largita eſt in regionibus à mari diſſitis fontes aquæ ſalſæ. 52
pedites meliores. 54
populi diviſio 52
provinciæ. ibid.
ſitus & figura. 51. 52
vires maritimæ. 55
vires terreſtres maximæ. 53
Germani ſunt conſtantes. 54
Gothia quid ſignificet. 19
Gothiæ civitates. ibid.
Gueoni 117
Guidobaldus 70. 71

H.

Halis nomine Caliphæ inſignitus occiſus Cuſæ. 131 132
Henrici VIII. expeditio Bolonienſis 13
Hibernia 10
Hiſpania auro argentoq; ditiſſima 168

Hiſpaniæ formæ regendi duobus fundamentis nititur. 109 209
Hiſpaniæ novæ ora 165
opes inexhauſtæ 167
Hiſpaniæ Rex prævalet Turcæ 171
Regis reditus exæquant reditus Turcæ. 204
Hiſpanicum imperium an diu durare poſſit. 169
Hiſpani maximum damnum paſſi ſunt ab Anglis. 176
Hiſpanorum ſagacitas. 172
Homo utitur eo omni ad defenſionem ſui, quod ad offendendum pertinet. 103
Hungariæ regni adminiſtratio 207

I.

Iagello quibus conditionibus factus fuerit Rex Poloniæ. 24
Ianizari. 164. 194. 197 198
Iaponia eſt corpus multarum Inſularum. 140
pro ſterili potius eſt habenda. ibid.
variè diſtat à Chinæ. 113
Iaponenſes præſtantiores ſunt Chinenſibus. ibid.
Iaponenſium laus. 140
Iavæ habitatores à Chinenſibus ortum videntur trahere. 105
Igne utuntur Chinenſes ad excludendos pipiones. 108
Imperator Auſtriacus non eſt tam impotens, quàm ipſum aliqui ex ignorantia Imperiorum æſtimant. 46
non regit abſolute ſed per comitia. 51
Imperatoris creatio ab Electoribus quando cœpit. 50
Imperia magna ſua moleruunt. 101
Imperii Rom: Civitates & Principes. 51
diviſio quando facta. 48 49
Prælati. 52
membra non ſunt uniformia. 51
reditus 53
Imperium Rom: bellis civibus Galbæ, Othonis, Vitellii labi cœpit. 47
imperante Traiano fuit ampliſſimum. 47
quamdiu permanſerit in familia Caroli M. 50
quantum exercitum educere poſſit. 54
Indion caput Margianæ 134
Induſtria pacis filia 111
In habitatorum Italiæ Germaniæ, Franciæ, Siciliæ, Angliæ Belgii numerus. 109
Iohannes Franciſcus Gonzaga à Sigismundo Cæſare creatur Marchio Mantuæ. 68
Ior & Achem Reges. 183
Irruptiones in longinquas regiones magnam faciunt vaſtitatem. 35
Iſmaelis Sophi origo. 131
regni amplitudo. 133
Iſpaam caput Parthiæ. 134
Iſtigias caput Bactrianæ. 134
Italia cedit Franciæ. 3
Italici peditatus laus. 78
Itali ſibi ipſi, egregrie imponunt, cum

cum opinantur ſuam regionem omnibus aliis præſtare. 109

Ius eo momento, quo delictum commiſſum eſt, in Monomotapa dicitur. 152

Iuſtitia quietis mater. 111

L.

Lai 115

Lappi. 19

Legatus coram Turca compariturus dina adferat. 195

Lithuania quomodo Regno Poloniæ unita. 24

Livonia à Polonis armis acquiſita. 24. 25

Longævitas multum facit ad propagationem. 20

Lubecum Danis & Suecis inter ſe belligerantibus modo huic modo alteri adhæret: 23

Ludovicus Gonzaga 68

Luſatia. 45

Luſitanis nil niſi Viri deſunt. 139

Luſitani Turca ſuperiores in viribus navalibus. 202

Luſitanorum regna & dominia. 164

M.

Madaraccia collegium Feſſanum. 155

Magellanus obiit in Cuba. 177

Magni Ducis Etruriæ militia reditus, regiones naturâ munitæ, vires. 63

Magnus Magor cur ſibi dominium totius Orientis & Indiæ non æquirat. 101

Mahumetes. 131

Mahumeten Mahadin Mauri non mortuum eſſe ajunt. 132

Malabar. 128

Mancipia quare in Capitaneos à Mamudza ſint electi. 96

Marchia 56

Mare Caſpium. 135

Mare & flumina in China non minus frequenter inhabitantur quam terra. 108

Mare novum. 25

Mari dominantes terra quoq; prævalent. 106

Marochum civitas & regnum. 153. 154

Meaco. 140

Media quibus Turca ſuum dominium conſervat. 194

Mediolanenſis ducatus. 168

Meicon. 116

Mellis copia in Abiſſinia. 145

Mercatura floret in Perſia. 135

Mercatura in Turcia fere eſt in manibus Chriſtianorum. 195

Mexicani in ſeptem tribus diviſi. 166

pueroruṁ inſtitutionem curant. 165

Regem veneno necarunt. ib.

Miles Suecicus ab hoſte captus redimitur à Rege. 22

Militari robori præmia maxima proponuntur apud Barbaros. 95

Milites Luſatiæ optimi. 45

Militi Suecico ſi occiſus fuerit equus, alium Rex donat. 22

Mœnus Germaniam dividit in superiorem & inferiorem. 52
Mogor. 96
Mogori Indiam superarunt. 100
copia elephantum, equorum, tormentorum abundant. 111
Tartaria oriundi. 96
Molluccas primi detexerunt Chinenses. 105
Monomotapæ elephantum copia, regnum, tria fodinarum millia, tributa. 152
Mons aureus. 2
Montes Pyrenæi. 2
Moravia 45
Moschi de suo Principe tanquam de Deo credunt & loquuntur. 39
in bellis opus habent calcaribus. 40
maris usum non habent. 38
metu pœnarum strenue militant. 40
mercaturæ non dediti. 38
quondam Tartaris subditi fuere. 34
Moscovia abundat melle, feris 36
mater lacuum & fluviorum 37
sylvis & lacubus magna ex parte occupatur. 36
tribus de causis habitatoribus infrequentior facta 35
Moscovia, aer fructus pecudes parvæ pisces. 37
civitates præcipuæ 34
munitiones. 40
segetes non perveniunt ad maturitatem. 37
Moscoviæ Magni Ducis luxus in vestitu. 38
ditionis ipsius fines. 34
regimen despoticum. 38 209
vires consistunt in equitatu. 41
nomine recitato omnes assurgunt in pedes. 39
Moscus & Turcæ soli sunt domini suorum dominiorum. 38
Moscus semper invadit Suecum. 44
valde dilatat regiones suas. 34
Mosqua. 34.35
exusta à Tartaris 41
Motus perpetuus est solius Dei & naturæ. 101
Mulieres Finlandiæ sunt fecundæ. 19
Mulierum communitas introducta. 130
Munimenta Moscoviæ consistunt in pluralitate paludum & densitate nemorum. 40
Munitionem offendendi quatuor sunt modi. 37
Munitiones meliores. 37
utilissimæ. 23
Muri in Moscovia exstruuntur ex trabibus 40
Murus Chinensis 111

N.

Nabunanga. 141

Nairi, milites Malabaris, omnes sunt nobiles. 129
pedibus instar pardorum valent. 129
uxorati non sunt. 130
Narsingæ Regis militiæ descriptio. 125. 126.
opes & reditus. 125
regni situs. 124
verba milites ad pugnandum incitantia. 127
Natura pronior est ad defendendum quàm ad offendendum. 103
Navale Venetum admirandum. 79. 80.
Neapolitanum regnum gemma Italiæ. 168
Nobiles Anglici loca munita non possident. 15
Nobiles Polonici propriis impensis Regi & Regno inservire obligati sunt. 30
sumtus magnos faciunt in visendis comitiis. 32
Nobilitas apud Persas in pretio est. 95. 134
à Turcis exstirpatur. 95
Nobilium Polon authoritas. 28
Nogay. 42. 43.
Norvvegiæ populorum potentia. 16
regnum quomodo pervenerit ad Danum. 17
Novognardia 35
Nummus Chartaceus. 92
Nuncii terrestres.

O.

Odera. 52
Odiorum inter Suecum & Danum causæ. 22
Otiosi non tolerantur in China. 107
Otto Dux Vrbini. 70
Oxus Persiæ fluvius. 13

P.

Parlamenta Angliæ. 14
Papæ arces & civitates munitæ. 56
dominium temporale est duorum generum. 56
Italiæ bonam partem possidet ibid.
non deerunt pecuniæ, quamdiu manus ipsi erit calamus 57
Patrimonium Petri. 56
Pauperum mangam curam habent Veneti. 84
Pecuniæ vis. 120
Pecunias conflandi modi in Anglia 15
Pedemontani quicquid habent in luxum impendunt. 59
sunt simplices & mansueti. ibid.
Pedemontii civitates. ib.
pars maxima aspectu jucunda, abundat frumentis. 58
Pegu. 117
Peibus lacus. 25
Persæ classibus usi non sunt. 135
delectantur bonis literis. 134
quoties arma cum Turcis contulerunt, amiserunt aliquid. 138. 201
timent Turcam. ibid.

tria militum genera habent. 135
Turcas superant civilitate & humanitate. 135
Persarum militia gravi morbo laborat. 135
nomen aliquamdiu suppressum fuit. 131
Persiæ Reges finitimi. 137
Regis reditus. 136. 137
Regnum simile Hispaniæ. 136
Regum historia successionis 131. 132. 133.
vires consistunt potius in virtute quam in numero. 135
Peruviæ Rex. 165 166
thesauri. 167
Peso nummus. 167
Philippinæ. 168. 176
Philippinarum præcipua Luzon 179
Pilippi Regis Hispaniæ regno nullus habuit majus. 168
regiones recensentur. 162. 163.
Plantæ in China bis aut ter fructus reddunt. 107
Pipere abundat Calecutium. 129
Podolia. 25
Politia magistra legum. 111
Polonia abundat frugibus, melle lino. 25
Poloniæ Regis authoritas. 27. 28.
electio. 27
Rex quomodo stabiliverit regnum. 28
juribus majestatis non gaudet. 31
arces 31
opes 26
regni situs & amplitudo 24
reditus 29
regno quænam ablata sint 29
regnum auro & argento dives non est 29
Polonici regni thesauri consistunt in salinis 26
Poloni in præliis opus habent freno. 41
pedestrem militem non habent. 30
Polonis agilitas deest. 31
Pontificis Romani amplitudo est duorum generum. 56
Populi favor facit homines ambitiosos. 157
Populi orientales paucis contenti vivunt. 121
Populorum Septentrionalium longævitas. 19. 20
Populus tantum valet quantum Rex ingenio valet. 44
Præcopus. 42
Presbyteri Iohannis aula fixa non manet. 146
imperii situs. 144
imperium non respondet famæ quam vulgus de ea habet. 144
hostes 149 150
reditus sunt trium generum. 147
regiminis forma. 146
religio militaris. 148
potentia. ibi.

veneratio. 146
Presbyter Iohannes confert ordines sacros. 146
originem trahit ex Salomone & Regina Sabæ 147
fratres includit in montis Amaræ arce. 147
Princeps bonus curat, ut à populo suo diligatur. 99
Principatus in Turcia dantur plus offerentibus. 195
Principes fortes & potentissimi. 93
in oriente & meridie exercitus nostris majores educere possunt. 98
in rebus bellicis præstantissimi 31
seculares Imperii. 53
Principis divitiæ non debent æstimari à magnitudine redituum sed de bono regimine. 6
Principum orientalium scopus est victoria. 125
Privatorum opes valde ditant ærarium principis. 62
Proveditores generales. 79
Prussia. 26 208
Prussiæ divisio. 27. 208

Q.

Quinzai. 90

R.

In Rebus practicis nihil infelicius quam nimium ingenii acumen. 170
Reditus Regis Angliæ ex pupillorum tutela 14
Regii Montis Duces. 26
Regis Chinensis veneratio. 110
Regni potentia non est æstimanda ex municipiorum numero. 100
Resbuti. 102
Res moderatæ durant. 102
Res prosperæ excæcant homines, adversæ reddunt eos cautiores. 102
Revalia. 25
Rex tantum valet, quantum prudentia valet. 28
Rhenus. 52
Romandiola. 56

S.

Sabaudiæ Ducis dominium ejusq; divisio. 58
potentia & reditus. 60
Salis & piperis grana expenduntur loco nummorum. 92
Samogithia. 25
Samorini 128
Sanosaradinus. 96
Scania. 16. 17.
Scholæ aliæ in Moscovia non reperiuntur, quàm in quibus docetur lectio & scriptio. 38
Scotiæ fertilitas. 8
Securitas est unica basis status. 106
Seditiones in Moscovia ut avertantur integræ familiæ ex uno loco in alium transferuntur. 39
Segnes in China castigantur. 107
Selandumia. 16
Sena & Pisa servitutis jugum ægre ferentes vacuæ derelictæ sunt. 61
Senensis status. 61. 52
Seriffi dominium. 159. 161
militiæ genera. ibid.

Origo. 156. 157. 158. 159
progressus conferuntur cum progressibus Ismaelis, Sophi 159
Seriffus quomodo regnæ Marochum & Fessanum sibi comparaverit. 156
totius Africæ principibus præfertur. 153
Siam abundat elephantis 118
Siam civitas. 116
Siamici Regis Barones, magnificentia, regimen. 116
Regni opes, reditus. 115
Siciliæ laus. 169
Silesia. 45
Siras 134
ad Status alicujus firmitatem quatuor requiruntur. 31
Statuum ampliatio quid efficiat. 106
conservatio dat iisdem essentiam. 106
Stercus humanum in China venditur. 107
Stiria. 45
Stockfisch. 17
Sua perdere, ut acquirantur aliena est stultitia. 106
Subditorum facultatibus necessitate urgente quomodo utatur Dux Etruriæ. 63
Subsidium Romanum. 53
Sueciæ divisio. 18
minæræ. 20
peditatus & equitatus. 21
reditus consistit in quatuor rebus. 20
tormentorum copia. 21
Sueci ætate mari, terra hyeme belligerant. 22
exteros aversantur. 20
Suecus cum Mosco bellagerens primas obtinet. 23
Sund. 17

T.

Tabernam in Persia positurus Regi quotannis certum quid pendere debet. 137
Tamarindi potio Abissinitorum. 145
Tandaia. 177
Tartari expeditiones maximas fecerunt. 89
plerique equites. 93
regiones plurimas afflixerunt. 89
sub diversis principibus degunt. 10
Tartarorum divisio. 95
imperium majus fuit Alexandri & Romano imperio. 91
statura. 95
Tauristum. 134. 193
Templum Fassibæ adificare curat, cui omne ferrum Japoniæ vult insumere. 142
Templum Turcis Moschea. 132
Tenzæ dominus in Japonia absolute imperat. 141
Terræ motus sæpius in Chinæ accidunt. 108
Timarra. 196

Timariotti. 135
Tomani valor. 137
Turban geſtamen capitis. 132
Turca eſt draco inſatiabilis. 46
dedecus & damnum retulit, quoties Luſitanos aggreſſus eſt. 202
imperio ſuo comprehendit præcipuas partes trium orbis terræ partium. 163
ſemper bella gerit. 201
Turcæ æraria exhauſit bellum Perſicum. 195
militia navalis. 199
nil niſi armorum curam habent 194
reditus. 194. 195
robur conſiſtit in equitatu, peditatu claſſibus, commeatu, pecuniis. 194
tria habent, quæ nemini non metum incutiunt. 200
Turcarum arces bellicæ. 193
claſſes cur nobis incommodum afferunt. 33
diſciplina militaris. 200 201
regimen eſt plane deſpoticum 193
Turcicum imperium à parvis initiis in magnitudinem extimeſcendam excrevit per arma. 193
robur conſiſtere in Ianizaris falſum eſt 199
Tyrannorum mores. 98
Tyrolenſis comitatus. 45

V.

Vaſallis Moſcovitis non licet regni fines exire. 38
Vdia. 119
Velocitas bello ſumme neceſſaria eſt 101
Vendenao. 177
Venetæ Reipublicæ laus 84
concilia 82 83.
ad Venetæ Reipublicæ clavum ſedent nobiles & Dux. 82
in Veneta Republica quænam deſiderantur. 87
Venetiarum admiranda externa 73
dominium, pontes, nobiles, reditus, ſitus. 73. 75
Veneti quas poſſideant civitates, regiones, inſulas, arces. 74. 78
quamdiu libertatem retinuerint illibatam & quibus mediis. 83
ſtudent cum principibus Chriſtianis pacem colere. 85
timent Turcam & Hiſpanos 85. 86.
Venetorum Ducis creatio. 82
militia. 78. 81.
modi extraordinarii colligendi pecunias. 76
regimen placet populo. 84
Venti capiunt partem naturæ locorum, per quæ tranſeunt. 2
Vervecum cauda in regno Adel & amplius pondo eſt. 25 149

Victoriæ reddunt nos insolentiores. 101. 157.
Vini Malvatici dolium in Polonia 70. *aureis constat.* 29
Vinum Abissinii ex uvis non exprimunt. 145
Vires majores tractationi ineptæ 101
raro comitem habent prudentiam. 5
Vistula. 25
Vites in Anglia non matureſcunt. 2
Vmbria 56
Vrbinni Duces. 68
VVallia. 9
VVardhus. 18

X.

Xaidu Chamipalatium est. 91

INDEX AUTHORUM POLITICORUM.

A.

Leo Afer de rebus Mauritaniæ & Americæ.
Angliæ nobilitas, Londini edita in fol. cum terſiſſimis Iconibus.
Argentræi hiſtoria Britanniæ.
Franciſcus Alvaroſius in hiſtoria AEthiopica.
Alexandri Andreæ libellus de bello inter Philippum Regem Hiſpaniarum, & Paulum III, Pontificem geſto, de regno Neapolitano multa exponit.
Henningus Arniſæus de ſtatu Reipubl. Venet. & de ſtatu Imperii Germanici.
Petrus de Andlo de Imperio Romano
AEmyl. in hiſtor. Franc.
Frider. Achilles, Dux VVitiembergic. de principatu provinciarum Europæ.
Aventini hiſtoria Bojicæ.
Arnodus Clapmarius de arcanis Rerumpublicarum, in quibus κρύφια quædam Politiarum ſingulariter ediſſeruntur. Tribuere autem hanc opellam Politicam ſibi videtur Kecker. in diſp. Practicis.
Admonitio ad orbis terræ Principes, qui ſe ſuosq; ſalvos volunt, ad illuſtriſſimos Germaniæ proceres.
Apologia civitatum Anſaticarum pro aſſertione fœderis ſui antiquiſſimi, quòd nimirum id ſit cum commerciorum, tùm etiam tuitionis ſeu defenſionis, & quidem æquiſſimum omnibus juribus conveniens.

B.

Iohannes Boheмus de moribus diverſarum genitum.
P. Bembus in hiſtoria Veneta.
Braun in theatro urbium.
Auger. Gisl. Busbequii Itinerarium Conſtantinopolitanum.
Bruſch in deſcript. VVeſtphaliæ.
Baſilidis Moſchovitæ hiſtoria.
Brunus in Comitatu Aſtenſi.
Petrus Bellunga de regno Terraconenſi, in Speculo ſuo accuratè ſcripſit.
Hectoris Boetii hiſtoria Scotiæ.

Geor-

Georgius Buchananus de rebus Scotiæ.
Bruchius de omnibus Germaniæ Archiepiſcopatibus.
Ant. Bonfinii decades rerum Hungaricarum.
Vincentius Burginus ſcripſit de rebus Italiæ.
Barnabas Briſſonius de regio Perſarum principatu.
Bilibaldi Birkheimeri deſcriptio Germaniæ.
Boterus de polit. virorum illuſtrium origine urbium, earundemq; augendi ratione.
Boterus de ſtatu Principum.
Jurisprudentiæ Politicæ, ſive arcanarum diſquiſitionum Politicarum libri duo Liberii à Bodenſtein.
Sigismundus Barth. de Moſcovia.
Suſcitabulum pro Principibus, id eſt, pro defenſione autonomiæ & eunomiæ in Imperio Romano conceſſæ & ſtatutæ, autore Benbellona de Godenziis.

C.

Danielis Cellarii Geographia.
Philipp. Camerarii obſervationes hiſtoricæ.
Cromerus de rebus Poloniæ.
Philip. Cluveri Germania: edidit alias etiam orbis partes: Siciliam, Sarniniam, Corſicam.
Caſaubonus ad Coſmograph. Strabonis.
Barth. Caſai narratio de regionum Indicarum per Hiſpanos devaſtatione.
Ioachimi Curæi Annales Sileſiæ.
Gulielmi Cambdeni Britannia.
Cuſpiniani Auſtria
Alberti Cranzii Saxonia, VVandalia.
Ambroſii Contareni itinerarium Perſicum.
Cœlii Curionis hiſtoria Sarracenica.
Cœlii Auguſtinii Curionis hiſtoria de regno Marochi.
Iohannis Cotovicii itinerarium Hieroſolymitanum & Syriacum.
Iohannis Iac. Chiffletii Veſontio, civitas Imperialis, libera.
Contarenus de Republ. Venet.
Cominæus de bello Neapolitano.
Hieronymus Conneſtagius.
Martini Cruſii Annal Suev.

Ema-

Emanuel à Costa de rebus Indicis.
Ceriolanus Cepio de rebus Venetis.
Cicarella continuator Platinæ.
Chronicon Hollandiæ, de Hollanderum Republ. & rebus gestis commentarii.
Consilia bellica à summis Pontificibus Imperatoribus. cæterisq; sacri Romani Imperii Electoribus. Principibus ac Statibus, &c. pleraque contra Turcam in summis Christiani orbis Conciliis atque Comitiis explicata.

D.

Donatus de Republ. Venetorum.
Georgii Dousæ itinerarium Constantinopolitanum.
Dubravius scripsit res Bohemiæ.
Discursus Epistolares Politico Theologici, de statu Reipubl. Christianæ degenerantis.
Iani Dousa Annales Batav.
Discursus aliquot quorum Meter. lib. 25. hist. Belg. *meminit, & eorum contenta recitat, Politiæ provinciarum Vnitarum etiam faciunt mentionem.*
Caspar Dornavius de incrementis dominatu Turcici.
De Roliticâ dignitate & potestate Germanorum, ex Matthæi Dresseri Isagoge historica.
Sumarischer Begriff der Käiserl. Freyen Reichs-und Anfestadt Dortmund/ colligirt durch *Detmarum Mulherum.*

E.

Ubbo Emmius de Republ. Frisiorum.

F.

Marquardi Freheri Origines Palatinæ. Scripsit & Derectorium antiquiorum historicorum hîc utile.
Fazelli res Siculæ.
Feraldus de jure regni Gallici.
Fœderatorum inferioris Germaniæ defensiones multa scitu digna continent de Rege Hispaniarum, Pontifice Romano, quâve Politiâ gaudere velint. Extat etiam in defensione secunda I. Lipsi laus ingens & conferta Pontificis Romani, & Romanæ quam anchoram fluctuanti Europæ ponit, decus, tutelam & columnam rerum facit.

Petrt Ant. Finariensis, de dignitate Principum liber.

G.

Ludovicus Guicci ardinus in descriptione generali Belgii.
Damianus à Goes descripsit Vlyssibonam, primariam Portugalliæ urbem. Scripsit & res Æthiopicas.
Gianottus della Reip. di Vinet.
Philipp. Glaserus edidit Catalogum historicorum selectissimorum è Possevino ferè: hîc tamen planè utilem, quia orbem urbesque hi tales edisserunt.
Politica Imperialia Melchioris Goldasti.

H.

Sigismundus L. Baro ab Herbenstein de rebus Moschoviæ.
Philipp. Honorius p. 2. apotelesm. 55. Prud. Politicæ de Belgio disserit.
Ioh. Herbortus in Chron. Poloniæ.
Helmoldus in historia Sclavorum.
Hotomanni Franco Gallia.
Haillan. de statu Franc.
Heiden de bello Moscovitico.
Caspar Hennibergerus de rebus Prutenicis.
Danielis Heinsii laudatio funebris Jani Dousæ, ubi de Batavis exactæ dicit.
Andreæ Hoji oratio de novæ apud Europæos Monarchia, & ad infringendam Turcicæ dominationis potentiam, & ad stabiliendum Christiana statum utilitate.

I.

Paulus Iovius in legatione Moschovitarum ad Clementem VII.
Ianottus de Rep. Venet.
Bernhardus Iustinian. in histor. Venet.
Iacobi nobilis Dani, Friderici II. Regis legati, Hodeporicon Ruthenicum, in quo de Moscovitarum regione, moribus, religione, gubernatione & aulâ Imperatoriâ exequitur.

K.

Keckermannus in libell. de regno Poloniæ.
Vvilhelmi Kiriandri commentarii de statu Augustæ Trevirorum

L.

Leunclavii historia Turcica.

Chronicon Laurisb. h.
Iusti Lipsii Lovanium.
Von Anfang und Auffrichtung des Teuschen Reichs/ und was es iederzeit mit demselben/ und insonderheit mit den Erb Frey- und Reichsstädten vor ein gestalt gehabt. *In Chronico Spirensi Christophori Lehman.*

M.

Antonii Magini Geographiæ.
Machiavelli historia Florentina.
Marianus de rebus Hispanicis.
Matthias à Michou de Sarmatiis.
Ioannis Macri Indicarum historiarum lib. 3.
Iannis Marianæ Iesuitæ de rebus Hispaniæ libri 30.
Chronicon Mansfeldense.
Paulli Merulæ Geograph. & oratio de nat. Reip. Patavicæ.
Bernhardi Mendozæ commentarii de rebus Belgicis.
Petr. Montan in descript. belgij.
Ioh. Meursii rerum Belgicarum libri.
Monita Politica ad S. Rom. Imperii Principes, de immensâ Curiæ Romanæ potentiâ moderandâ.
Mundus Imperiorum, das ist: Beschreibung aller Keyserthumb/ Königreich/ Fürstenthumb/ &c. in vier Theil aus dem Italiamischen verteutscht/ durch Johan von Brüssel.
Balthasaris Mentzii discursus Politicus, von den fürnehmsten Ständen des H. Römischen Reichs/ wie sie zu ihren hohen Emptern erhaben/ sambt den zwölff Christlichen Königreichen/ und Teutscher Nation Ertzstifften. &c.

N.

Levoldi à Northof origines Marcanæ.
Sigismundus Neugebauer in historia rerum Polonicarum. Ejusdem Icones & vitæ Principum ac Regum Poloniæ.
Nothwendige Erinnerung wegen Donawert. Relation/ und gründlicher Unterricht *de quæst.* Ob der Keys: Hoffrath *concurrentem jurisd. cum Camera.*

O.

Abrahamus Ortelius scripsit laculentissima theatra in Geographicis & authores quâ veteres, quà recentiores, qui copiosè omnia persequuntur, fideliter citat & refert.

P.

Is. Pontanus de urbe Amstelodamo.
Platina de Pontif. Rom.
Onuph. Panvinius de iisdem episcopatibus & titulis Cardinalium.
Procopius de rebus Vandal.
Paurmeister de jurisd. Imp. Romani.
Poggii historia Florentina.
Polydorus in historia Anglorum.
Pontanus de increm. urb. Venet.
Iul. Pflugius de Republ. German.
Antonius Possevinus (extraordinem ferè dicendus) contulit nobis numerum innumerum historicorum qui de pluribus orbis Imperiis, Regnis, Dynastiis variè scripserunt. Ille Bibliothecarius est, qui adyta ad amplissimam hanc Bibliothecam reserat. In hoc tamen ejus apparatu delectum habe, quem qui habebit, cum Solonem praedicabo hujus HISTORIAE.
Conradi Peutigeri Chronicon Augustanum.
AEgidii Periandri nobilitas Maguntina.
Praxis sapientiæ Politicæ hoc est selectiores tractatus, monita, acta, relationes & discursus varii, plenam atq; exquisitam regiæ prudentiæ & Principum, Rerumpublicarum populorumq; notitiam suppeditantes, ex variis authoribus Italicis Latinè redditi à Julio Bello.
Paulus Palczovvski de Palczovvice de statu Veneto.
Politicarum dissertationum de statu Imperiorum, Regnorum, Principatuum & Rerumpublicarum tomi 4. studio Nicolai Belli editi.
Politischer Probierstein/ darauff die vornehmesten Monarchien und und Freyen Ständ in der gantzen Welt Regierungen gestrichen/ und deren halt zu sehen ist.

Q.

Guerinus Piso de Roman. & Venet. magistratuum comparatione.

R.

Michael Ritius de Regibus Siciliæ.

Ioh. Rassius in Geneal. Austriaca.
Gerardus de Roo Veter-Acquinas in Annalibus Domus Austriacæ.
Stephani Ritteri Cosmographia Prosometrica, opus novissimum.
Beatus Rhenanus de rebus Cermaniæ.
Micolaus Reusnerus de urbibus Germaniæ Imperialibus.
De Romani Imperii ruina liber Latinè factus ex Italico per Turlerum.
Renati Choppini de civilibus Parisiorum moribus & institutis lib. 3.

S.

Iohan. Sleidani historia, in qua multa de particularibus regnis habet.
Io. Similerus de Republ. Helvetiorum.
Thomas Smithus de Republ. Anglor.
AEneæ Sylvii Europa.
Sabellici historiæ Veneta.
Lazari Sorancii Ottomannus, ubi agit de Ianizaris, & eorum laudatissimâ institutione.
Erasmus Stella de Borussiæ antiquitatibus.
Theodorus Sanduginus lib. de moribus Turcarum.
Bernardinus Scardeonius de urbe Patavio.
Claud. Seisell. de Repub. Gallica.
Sansovin. de statu regni Galliæ.
Iul. Scaliger in encomiis urbium.
Spachius edidit Nomenclaturam historicorum particularium hic etiam usui futuram
Georgii Schonborneri descriptio Statuum & Ordinum Sacri Romani Imperii.
Soranzius Patritius Venetus de rebus Turcicis.
Caroli Scribani Antverpia.
Nicolai Serarii res Moguntiacæ.
Inscriptiones historicæ Regum Scotorum Ioannis Ionstoni Scoti.

T.

Iac. Augustus Thuanus in historia sui temporis, quæ exacta multa regnorum particularia continet.
Trithemius scripsit quædam de Germanio.
Rodericus Toletanus de rebus Hispaniæ.
Thesaurus Politicus, relationes, instructiones, dissertationes aliosque ad Imperatorem, Regnorum, Provinciarum, omniumq; quæ ab iis de-

pendent, cognitionem pertinentes tractatus complectens, ex Italico Latinè factus.

De Turcicis rebus scripserunt.

- *Laonicus Chalcondyla.*
- *Theodorus Gaza.*
- *Baptista Egnatius.*
- *Joannes Ramus.*
- *Andreas à Lacuna.*
- *VVolgangus Dreschler.*
- *P. Callimachus.*
- *P. Porondinus.*
- *Leonhardus Chiensis.*
- *Isiodorus Ruthenus.*
- *M. Antonius Coccius Sabellicus.*
- *Bernhardus de Breidenbach.*
- *Marinus Barletius.*
- *Henricus Peniæ.*
- *Jacob. Fontanus*
- *Michael Soiterus à Vinda.*
- *Aloysius Amerius.*
- *Joannes Etrobius.*
- *Ioh. Crispus Ægeus.*
- *Nicolaus Villagagno.*
- *Ioannes Martinus Stella.*
- *Ioan. Christophorus Calvetus Stella.*

V.

Volat. 4. Georg. cap. de Venet.
Marci Velseri historia rerum Augustanarum.

W.

Iacob VVimpheling. de rebus German.

Z.

Theodori Zvvingeri theatrum lib. 4. voluminis 28. in quo de specialibus Politicis memorabiliter tractat. ita tamen, ut historiæ limites non transiliat.

Zoanettus de Imperio Romano.
Caterini Zeni, Patricii Veneti commentaria rerum Persicarum.

Atque

INDEX AUTHORUM POLIT.

Atq; hos nunc castigatissimæ fidei authores confer cum Boteri nostri Politicis, & messis copi copiâ surget, vereque existet MUNDUS IMPERIORUM celebratus & illustratus. imò exiges monimentum.

— — *ære perennius,*
Regaliq; situ Pyramidum altius,
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, & fuga temporum.

Non sum nescius, Lector, in aulis, in atriis magnatum, præcipuos aulicos & Palatinos multa scripto, quod lucem non spectat, comprehensa, & ad Boteri modulum methodumque nimis exactè facientia sibi thesauri loco servare. Certè si eorum copia omnibus fieri posset, plurima scitu dignissima de arcanis omnium Rerumpublicarum paterent. Sed id vel non tutum, vel non obvium est. Itaque spicilegia hæc nostra tibi placeant, quæ digitum & nervum ad illa occulta & χρύφια quàm maximè intendunt, & observata tibi cum nostris æquissimè confer. Tantùm.

FINIS

INDEX AUTHORUM POLIT.

FINIS

F609
S379b